

1. Num Joseph decessit, fruct. K.C. Matth. 1, 18.
2. De Immanuele Matth. 1, 18, 23.
De edo pñ 1 Joh 11, 2.
3. De amictu baptiste. Matth. 3, 4. Mr. 1, 6
4. De uctu baptiste Mat 3, 4. Mr. 1, 6
5. Cratas sup monte Mat 5, 14.
6. De bedro pñ circa elemosynas. Mat. 6, 2
7. Putorum Amish. Vanitas. Mat. XV, 9.
8. De signis temporum, observandis Mat. 16, 1-4
9. De confes. Petri & Karp. Xī Mat. 16, 13-19. Inenj.
10. Tu es filius dei. uventi. Mat. 16, 16.
11. De claris uchi. Mat. 16, 19.
12. De autitate Clav. solv. & lig. Mat 16, 19
13. Ecce drachina in Xī solutus Mat 17, 24 &
14. Supus de opsonis u uina. Mat 20, 1-16
15. Vol. Xī congregatum uolentes Mat 23, 37.
16. Chichitubul. de haecomo Euzi Mat 24, 14.
17. De ot dazio Xī. Mat. 24, 28
18. Ager sanguinis Mat. 27, 3-11.
19. Tumba servatoris. Mat. 27, 60
20. De Audi Judas de. Mat 28, 1. Mr. 16, 2.
21. De curia mortis p oleū sancti. Mr. 6, 13. Jui. V, 14 &
22. De incarnationis mysterio Luc. 1, 35
23. De Morsa Xī preservata.
24. De nocte Iesu. Luc. 2, 21
25. De uentis absp. peccatoris Luc. 7, 47, 48
26. qobkaiygs Luc. 8, 13.
27. Xī curia Sabathica Luc. XV.
28. De demonia mystica Luc. XVI, 9
29. De eoz. Luc. 16, 9
- Luc. 16, 9.
- De lacrymis Xī. Luc. XIX, 41.
- Luc. 22, 38

00
R

+

33. Vetus à Vetro alienus. Luc. 22, 31, 32
34. Sive Divi gladii Luc. 22, 38
35. De Nazarethi judaizantibus Joh. 1, 12
36. De officio & prophetis Joh. 1, 18
37. De Templi & sacerdotis solutione & expectare Joh. 2, 19
38. De Regeneratione Joh. 3, 3, 5.
39. De conversione Samaritanorum Joh. 4, 1-43
40. De munditate videndi Virginitatis Samaritanorum. Joh. 4, 2 sequitur
41. De adorare in spiritu & veritate Joh. 4, 24.
42. Magnificum. De Tractu Patris ad filium Joh. 6, 44.
43. De spirituali manducare corpus & sanguinem Joh. 6, 56
44. Commentarij n. Joh. 8 25.
45. Mortem cum de mortuis. Joh. 11, 16
46. De Salvatore exalt. dolores! Joh. 12, 32
47. De pedilavio Joh. 13, 5.
48. Viri Cali mater s. de unione myrica Joh. 15, 1.
49. An de januis clausis intrant. Joh. 20, 19.
50. Theologia Johanna^{ven} Joh. 20, 31
51. Theologia Johanna^{galya} Joh. 20, 31.
52. Christus ex mortuis resurrexit Act. 2, 24.
53. Locy de baptismo Act. 2, 38 Inaug.
54. Baptismus puerorum Chilianum. Act. 2, 38
55. Samuel ibreo-Turco. Act. 5, 38.
56. Dicitur post mortem. Hierosolym. Act. xv, 11
57. De gratuita salute. Act. xv, 11 Inaug.
58. Eundem salvand modum V. & N. Test. Act. xv, 11.
59. De gestis Pauli ap. Athenienses Act. 17, 16-28.
60. Ara ignota dicitur Bosph. Act. 17, 23.
61. De divina ratione. Act. 17, 28.
62. Act. 17, 28. Contra Hobbesium & Spinozian.
63. Gallionis Act. 18, 12-16.

64. Theologice Art XIX, 3, 5.
65. de Reformatione Ecclesie. Art. 26, 10, 11
66. de Reg. & differentia donorum gratia Art. 26, 17, 18 man



DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,
De
**VOLUNTATE CHRIS-
TI CONGREGARE VOLEN-
TIS, NON VOLENTES CON-
GREGARI.**

Ex Matth. XXIII, vers. 37.

Jerusalem, Jerusalem, trucidatrix Prophetarum, & lapidatrix eorum, qui ad te
missi sunt, quoties volui aggregare liberos tuos, quemadmodum gallina
congregat pullos suos sub alas, & noluitis?

QVAM

Sub umbra alarum Domini,

PRÆSIDE

*Viro Magnifico, Admodum Reverendo, Amplissimo &
Excellentissimo,*

DN. JO. CONTR. DANNHAWERO,
SS. Theol. Doctor. & Professor. Celeber-
rimo, Conventus Ecclesiastici Præsides, & Capituli Thomani
Decano, & Universitatis h. t. Rectore, Domino Patrono, Præ-
ceptore & Promotore Patris instar venerando,
Pro impetrando Doctoreo in Theologia Gradu,

Solenniter tuebitur,

M. ISAACUS FAUSTIUS,

Argentoratensis, Ecclesiastes.

Ad diem 3. Junii Horis ante & pomeridianis.

DISPUTATIO XVI.

ARGENTORATI,

Typis JOSIÆ STÆDEL, Acad. Typogr. M. DC. LXXXIX.



כ"ט

THESIS I.

Locum propositum, quia insignem doctrinam continet, & firmitatem puræ Smplicisve veritatis egregiæ confirmat, & Ampliff Theologorum Facultas dignum qui vindicaretur judicavit, tractaturus, sic eum elaborare constitui, non ut afferrem omnia quæ undiqve conqvisita ad illum possent comportari, quia id per multa quæ obstant, non licet, neqve ad obtinendum, quod propositum est & intenditur, necessarium est, sed ut illum a quorundam, ab adversa parte stantium, simplicem, absolutam, ineluctabilem, irresistibilem, inevitabilem Dei voluntatem in omnibus defendentium, maxime Recentiorum, objectionibus vindicarem, probaremque, Esse in Deo voluntatem Seriam, ad ea etiam quæ contumaci hominum retinentia non existunt; velle Deum & Reprobos converti; vel, velle Deum congregare, qui per illorum inexpugnabilem malitiam non congregantur.

2. Hoc cum Deo præstiturus, qui simplicem veritatem verbo suo declaravit, sub clypeo gratiæ & veritatis in Christo patefactæ, præmittam aliqua ad Textum pertinentia, statuique nostro inservientia, de simplice, genuino quorundam verborum sensu, & phrasium nexu. Deinde adversantium, atque inter illos maxime Gomari & Spanhemii, contra quos præcipue agendum est, sententiam ex ipsis proponam, cum rationibus, quibus eam fulciunt, quibus eam sic suffulsiße, & communivisse sibi persuadent, ut non tantum non queat ruere ipsa, sed & adversas sententias omnes prostrernere. Concludet Rationum illarum evidens discussio, expugnatura violentiam interpretationis istius.

3. Hierusalem, quæ prima vox est, non ubiqve idem prorsus significare certum est. Flacius, quatuor significationibus ambitum vocis concludit. *Significat. 1. ipsam civitatem. 2. non raro populum ejus & vicinum, seu totam gentem Judaicam. 3. Ecclesiam militantem. 4. Ecclesiam triumphantem seu in regno caelorum existentem.* Ita Flacius, qui subjectis exemplis quæ posuit illustrat. Ad nostrum quod attinet locum dicimus I. Civitatem ipsam non accusari a Domino, neqve primo intelligi. Omnis de habitatoribus querela est, qui ingratitude, contumaciæ, crudelitatis accusantur. Admittimus, quod Hilarius posuit, in Matth. Canon. 24. p. m. 418. *In civitatis nuncupatione, habitantium facinus ostenditur.* & Hieronymus p. m. 701. *Hierusalem, non Saxa & adificia civitatis, sed habitatores vocat.* II. Primo intelligi populum urbis, qui eam inhabi-

A 2

tavit,



tavit, quique ad illam ut metropolin, sedemque divini cultus, confluit; sive, populum Judaicum, quia urbem trucidatricem prophetarum & lapidatricem missorum ad se vocat, ab inhabitantium crudeli in Prophetas Dei, reprehensores idololatriæ cultus in ea vigentis, & malitiæ pertinacis, animo, & genio sanguinario, quæ & ipsum Dominum, ad se missum, Circumcisionis ministrum, trucidavit. Illas cædes expetivit, illorum sanguinem sitiit universus populus, quod decrevere in illos primores, Scribæ, Pharisei, executi sunt populares approbavere omnes etiam non præsentis, sed factas cædes juste factas defendentes. 2. Quia ad populum misit, quos misit Dominus, ad populum intra urbem habitantem atque ad illam ut matrem confluentem. Venere utique intra mœnia Hierusalem, ingressi etiam alias urbes Judæorum sunt missi a Deo Prophetæ, sed ad habitatores missi sunt, ut illis exponeretur voluntas Dei de ipsorum salute. 3. permutatio numeri aperte habitatores alloquitur. Hierusalem, Hierusalem &c. & non voluistis vos urbis incolæ. Urbi ex Saxis & ædificiis constanti non convenit.

4. III. Civitatem, hoc est, populum alloquitur qui matris instar habet. Proponuntur in sacro codice Civitates matres inhabitantium, omniumque quos velut peperisse, gremio sinuque suo fovisse, & educasse dici possunt. Universum populum popularium quilibet parentem habet. Num. XXII, 5. בני עמון filii populi sui. Judic. XIV, 16. 17. בני עמי filii populi mei. Filii igitur populi sunt, populares, & populus, præter populares nihil est, nisi quod populus intelligitur, popularium omnium, multorumque in unum corpus coagmentatio, uniove. Parens populus est, populares quia filii sunt. Ergo parens non est quid, ex æquo contra distinctum filiis, quos peperit, fovit, educavit. Ita civitas mater est singulorum inhabitantium, quia civitas, ordinem ædificiorum, mœnibus comprehensorum, unionemve singularum domuum, significans proprie, tropice inhabitantem populum significat, qui parentis instar est singulis e populo.

5. IV. Propriissime & primo intelligit Christus universum malignantium Judæorum cætum, qui idololatriæ cultus pertinaciter defendit, & Prophetis illos accusantibus contradixit, qui in incredulitate sua & malitiosa rejectione Christi periit. Sermo Christi totus exprobratorius est, & minis plenus. Credentes itaque Judæorum reliquias quas servavit Dominus non ferit. Omnia itaque quæ perversæ Judæorum nationi eventura Dominus prædicit, simul sumpta, ut ab irato Deo scelerum vindice profecta, adæquate in populum incredulum, Ecclesiam malignantium competunt.

6. Falli-

6. Fallitur Cornelius a Lap. quando annotat: *per civitatem, cives sive cætum civium, ac præsertim magistratum & Sacerdotum (hi enim prophetas Christum occiderunt) intelligit & maxime Scribas & magistratus alloquitur, uti dixi.* Non sufficit, id dixisse Cornelium. Neque ratio quam attulit facit pro ipso. Civitas, cum in similitudine introducit matris, inhærendum cætui est, qui illum solvit, matrem deserit, & similitudinem illam tollit. Sic itaque Jerusalem, ipse populus Judaicus, quatenus multorum in unam gentem, unumve cætum colligatio est, vinculumque habet, quo constringuntur & continentur singuli.

7. Adstruunt, quæ supposita sunt Hunn. T. 3. oper. Lat. p. 522. *quoniam sanguinari hi doctores incitabant reliquos Judæos, ut & ipsi Christum ejusque Servos persequerentur: Idcirco Dominus oratione ad Hierosolimam conversa, &c. p. 523. Hierosolymitana urbis incolas, & generatim universum populum Judaicum, &c. Gerhard. Harm. Ev. c. 158. p. m. 71. Compellat Hierosolimam, h. e. cives Hierosolymitanos, intelliguntur omnes Judæi, qui & pag. 72. expedit cur in hac exprobratione solam Hierosolimam Christus nominaverit.*

8. Secunda vox est, *ἠθέλησα* quoties volui, quæ enim interferuntur extra Controversiam sunt. Magnam sine dubio vim habet, magnumque exprimit affectum. Ponamus de hac voce aliqua. I. Volitionem hanc ad voluntatem Christi humanam referre solam, nihil prorsus est quod persuadeat vel evidenter adigat. Irritus itaque conatus laborque Piscatoris est, qui omnium virium contentione in id incumbit, sicque finit; atque hæc mihi videtur genuina hujus loci interpretatio. Atque si obtinisset, quod intendebat, parum inde præsidii haberet adversa nobis sententia, quæ sic a potioribus defenditur, ut illa Piscatoris glossa prorsus oblitteretur. Certe omnes qui voluntatem hanc voluntatem signi interpretantur, omnes qui voluntatem efficacem quæ impleta sit, quæ congregati sint quos congregare voluit, illam ut inutilem sententiam relinquunt, adque firmiora sententiæ suæ præsidia se conferre voluisse videntur. Quoties Prophetas misit, congregare voluit, ad quos Prophetas misit, Ergo etiam antequam fieret homo, congregare voluit, quia Prophetas misit, mittendo enim Prophetas congregare voluit. Et mittere Prophetam Dei actus est. Et congregare ad se sub alas, sub alis servare & salvare, divinæ virtutis opus est. Calvinus certe, quæ Piscatori genuina sententia videtur, prorsus eam non agnoscit. l. 3. Instit. c. 24. §. 17. *Fateor Christum non tantum in persona hominis loqui, sed exprobrare quod seculis omnibus repudiarint suam gratiam. Idem in Harm. Evang. apertius, ubi manifeste illam Interpretationem subvertit: Christus in Dei persona: & post: porro quod ante hac dixi, Christum loqui in Dei persona, sic intelli-*

intelligo, sermonem: hunc proprie in aeternam ejus Deitatem competere. Neque enim hic differit, quid facere inceperit ex quo fuit in carne manifestatus, sed quantum de salute populi illius ab initio fuerit sollicitus predicat. Scimus autem Ecclesiam ita fuisse divinitus gubernatam, ut ei praesuerit Christus, quatenus aeterna erat Dei sapientia. Quem sequitur Ravanell. bibl. Sacr. p. 2. p. m. 879. Voluntas tribuitur Filio seu Christo, in quo est duplex voluntas, nempe Divina de qua Matth. XI, 27. & XXIII, 37. Luc. XIII, 34. &c. Atque haec ad sententiam Hieronymi: In eo quod dicit: quotiens volui congregare filios tuos; omnes retro Prophetas a se missos testatur.

9. II. Velle, in Sanctae linguae usu, magnam animi contentionem, & studium vehemens connotat. Magno studio ad aliquid contendere dicitur, qui velle quicquam dicitur. Ravanellus, certe, in biblioth. Sacra, jam desiderantis, optantisve expectationem anxiam, cupidam, jam expetentis summum studium; jam contententis summum studium, studentis & persequentis ardorem, cupidum quicquam facientis animum, amantis affectum, (quia quod absens desideratur cupide, praesens ardentius amatur) sententiam ex animo statuentis, in hac voce agnoscit. Glassius lib. 3. Philol. Sacr. p. 264. 265. velle, cupide optare, toto conamine in aliquid incumbere. Non obstant quae Ravanell. ad vocem istam in fine notat: Velle, pro jubere, praecipere, mandare. i. Tim. II, 8. V, 14. Tit. III. 8. Non obstant haec, quia singula loca jubentis, praecipientis, mandantis Seiviam voluntatem exprimunt, quae cupide optat, & magno conamine incumbit in id ut praestetur, quod iussit, ab illis, quibus haec mandata scripsit. Apud Matthaeum, ex quo Locus noster, frequens vocis *θέλειν* usus est de mago desiderantis, & ad aliquid contententis affectu. Et certa loca sunt Matth. XIV, 5. XVI, 24. 25. XIX, 17. 21. XX, 21. 26. 27. 32. Hoc Serium studium ab hac volitione Christi, volentis congregare, separari non potest, donec evictum fuerit, qui vocis illius frequentissimus usus est, hoc in sermone locum habere non posse.

10. III. Velle hoc, quo voluit Christus congregare Judaeos Serium congregandi studium, affectum erga congregandos syncerissime bonum, calidumque, eorumque congregationis impense cupidum, praese fert, nec fucata specie fallere potest. Hanc thesin extra dubium ponit dulcissima, quae studium suum erga congregandos ipse Dominus depingit, similitudo. Gallinam admittunt, qui caetera non admittunt, neque in illius vocis versione errasse putamus, utique avem significat quae se matrem agnoscit esse, quae tenerrimo calidove affectu fertur in pullos, & amantissime sub alas suas recondit. Versio ipsa non

con-

controvertitur. Beza : Gallina) ὄρνις. Hoc enim vocabulum generaliter avem declarans, gallina per antonomasiam tribuitur, quæ aliis proprie dicitur ἀλεκτορίς. Cur gallinæ se comparaverit Christus, explicare conati sunt Gerhard. Harm. Ev. Cornel. a Lap. Comm. loc. citatis. Nostrum non est excutere singula, id tamen huc pertinet, quod clarissime patet, sincerissimam σοφῆν, amorem calidum, studium recondendi sub alas, studium benefaciendi, & protegendi ardent exprimi. Idque adeo clarum esse existimo, ut solem cum meridiano fulgore omnia collustrat, lucere neget, qui id negare audeat. Nolim evidenti veritati obloqui.

II. Agnoscunt igitur sincerum, Seriumve adfectum sinceri Interpretes, neque contradicit hactenus Calvinus. Quam plangit patris affectu sicut & in alio loco legimus, quod videns eam fleverit. Hieron. Tom. 3. p. m. 701. Hunnius: *Recenset Dominus quam serio studio conatus sit: quem suum in tuendis illis affectum plane paternum dulcissima similitudine gallinæ illustrat & amplificat. Eadem imo longe majore fidelitate Christus se &c.* Calvinus Harm. Ev. *quum vero comiter & blande ad se allicere Deus tentaverit Judæos, ac nihil profecerit tanta benignitate, longe atrocius fuit tam superba contumeliæ crimen. Nunc teneamus cur se Christus in Dei persona gallinæ comparet: nempe quo plus ignominia huic scelestæ genti irroget, quæ suaves & plusquam maternas ejus invitationes respuerat, quum maternam personam induit, immenso spatio descendit infra suam gloriam: quanto hoc majus, quod gallinæ formam suscipiens, nos instar pullorum suorum habere dignatur?*

12. IV. Velle itaque hoc, beneplaciti divini est, & misericordissimus Dei Patris & Salvatoris amor significatur, qui etiam Reprobum malignantium Judæorum cæcum odio abscondito, interno, malitiosam ipsorum contumaciam antegresso, non fuit averfatus. Non tantum ferventer fovet quos sub alas suas recondidit gallina pullos, sed & errantes serio vocat ad se, desideratque illorum etiam cum reliquis absconsionem sub alis suis, qui sprete matris voce, incidunt in unguis rapacium, quæ sanguinem illorum sitiunt avium.

13. V. Intentionem congregandi negare nullo modo possumus, quam non tollit non subsequuta congregatio. Intentionem congregandi pullos sub alis utique non adæquate mensurat eventus congregatorum pullorum subsequutus. Bonam intentionem sæpius mala reluctantis contentio intervertit, utque non assequeretur, quod intenderat, effecit.

14. VI. Decretum bonæ Dei voluntatis offerendi vitam, & tutelam, & ex dispersione collectionem ad se, velle illud patefacit. Decevit procurare omnia, quæ

quæ desideratam & intentam collectionem promovere poterant, decrevit actu omnia offerre, quæ ad disperforum congregationem sufficiebant. Ad quod naturali affectu contendit gallina, id bona sua voluntate intendit Dominus, quod illa efficere parata est, facitque, Dominus procurare decrevit, adhibetque.

15. VII. Ergo efficax velle est. Actus, a bona voluntate exeuntes, media, a bona voluntate comparata efficacia sunt, quæ efficere poterant, quod bona intendebat voluntas. Naturalium agentium efficacem vim, non impetratus effectus non subvertit. Et quomodo Calvino, verbum Dei per se & sua natura salutare est, cum plurimis salus illa non conferatur, qui verbum illud audiunt. Non ergo inefficax velle est, quod sua natura & per se efficax velle est, quamvis quod vult non impetret, quando non impetrat quod vult, atque ideo quia non impetrat.

16. VIII. Ergo ordinatum velle. Non quod in Deo sint, quæ confusa sunt, ordine indigentia, vel volitio in Deo quatenus in Deo multiplex. Simplicitati tamen divinæ, non obstat decretorum divinorum pluralitas & ordo. Neque omne velle, divinum peremptorium est, quod omnipotente vi perumpat. Velle hoc quo voluit Christus congregare Judæos, non congregatos, in dispersione sua pereuntes, ordinem habet ad oppositum, atque actu objectum pervicax non velle, adque velle, quo illud pervicax non velle, poterat excludi. Velle Domini serium est, indifferensque, efficit quod vult, quando pervicax non velle suam malitiam non objicit. Ordinem quem ingreditur, & per quem ad congregandorum collectionem pergit Dominus, liberrima ipsius sapientia disposuit.

17. IX. Volitio Christi congregare volentis non volentes congregari, antecedentis voluntatis volitio est. Antecedentis voluntatis divinæ est, quia congregandos respicit in sua dispersione errantes, per vias mortis. Omnium miseretur misericors hæc Dei voluntas, quæ disperforum Judæorum, quatenus dispersi fuere, miserta fuit. Erasmus omnes errantes oves. Antecedentis voluntatis divinæ volitio est, quia objectam malitiosam non volitionem antecedit. Volui, vos non voluistis. Utique antequam illi non vellent. Voluntatis est, quia Dominus homo fieri voluit, mundumque salvaturus, in mundum venire, quia Propheta noster misit Prophetas & Apostolos. Quo illud Hilarii pertinet canon. 24. tanquam Gallina. *terrena videlicet nunc & domestica avis factus.*

18. X. Volitio, quæ omnipotente vi non caruit, quamvis quod voluit non impleverit. Neque enim Dominus potentiam quæ in congregando utitur, possetque

setque uti, comparat, cum potentia gallinæ, quam ad congregandos pullos habet. Hæc infirmitate sæpius impeditur, non Dominus, qui potentia non destituitur, sed omni potentia uti libere non voluit. Voluisse se congregare ut gallina, Dominus dicit. Seria illa voluntas nobis sufficit. Ordo sapientissime, liberrimeque constitutus non admittit, ubi gallinam impedit infirmitas.

19. Tertia vox Ἐπισυναγαγεῖν est, Congregare vel aggregare. Et quamvis in loco parallelo Luc. XIII, 34. ἐπισυνάξει, ab eodem verbo deductum occurrat, non tamen abs re fuerit, etiam de verbo, συναγεῖν aliquid dicere. Videtur enim Ἐπισυνάγεω intendere significationem verbi συναγεῖν facta expressiore mentione termini ad quem. Quamvis quæ congregantur, ad aliquid congregentur, id tamen voce συναγεῖν ita explicite non dicitur.

20. Συναγεῖν, collectionem unum in locum, rerum corporearum, sensu & ratione destitutarum, significat, ut tritici, granorum multorum, in horreum unum, Matth. III, 12. VI, 26. XIII, 30. Collectionem hominum, certum ob finem, una convocatorum, Matth. II, 4. vel sponte confluentium, Matth. XIII, 2. Quales conventus unit, unitas scopi, omnibus convocatis vel confluentibus præfixi. Abstrahit a locali conceptu, quando Spirituum congregationem dicit, hominum quoad loca magno intervallo distantium, unum tamen, Spiritus concordia & consensu unanimi, perficientium, I. Cor. V, 4. Ad hæc συναγωγὴ Collectio, congregatio, vel aggregatio potius, non tantum multorum collectio est, & convocatio in unum, vel ad unum quendam, sed & unius ad se receptio. Sic συναγει & aggregat, qui peregrinum hominem hospitio excipit. Matth. XXV, 35. 38. 43. Ut Synagoga cætus convenientium dici queat, non tam quatenus omnes simul sumpti in unum collecti sunt, quam quatenus secundus accessit ad primum, tertius ad secundum & per secundum ad primum. Ut consequens sit conceptus qui multa uno in loco congregata, vel unum in finem convocata esse, vel confluisse dicit primus ille, qui unum colligit, & reliqua dum uni aggregat, omnia in unum consequenter congregat.

Oppositum habet σκορπίζειν dispergere. Per Matth. XII, 30. XXV, 24. 26. Non obstat quod illa dispersio primo dicat solutionem unitatis congregatorum multorum, consequenter unius ab altero diffluxum, vel singulorum ab uno ad quod congregabantur singuli dispersionem. Quia certum est analysin synthesi oppositam esse, cum tamen analysis incipiat ab eo, in quo desinit synthesis, & vice versa, analysis desinat, a quo incepit synthesis.

21. Certum est συναγεῖν de actione Christi colligentis ad se fidelium singulos, consequenter in uno corpore colligantis, dumque ad se vocat, ad uni-

B

tatem

tatem fidei, uni Domino innixæ, convocantis, usurpari. Joh. XI, 52. Ideoque *συνάγονται* ad Christum fidelium singuli, qui omnes ad unius Salvatoris se recipiunt tutelam, unaque fruuntur salute Matth. XXIV, 28. qui unum Dominum, unum Patrem, uno ore, uno corde invocant Matth. XVIII, 20.

22. Localis congressus ad hanc congregationem nullo modo necessarius est, Ergo primum & formale vocis *συνάγειν* significatum adeo non est de exteriori, visibili, unum in locum, certis iisdemq; ritibus oculis hominum se ingerente conventu, ut vere, proprie, congregentur & aggregentur, ubi nullus est congressus exterior, neq; eum præsentem esse oportet. Habet in oriente fideles, in occidente etiam suos habet quos novit Dominus, locorum intervallis discretos, quos impossibile est confluere in unum eatum visibilem, qui tamen congregari ad Christum sunt omnesq; in ipso unus. Maximum pondus in congregatione orantium habet mentium unio, quæ esse potest, ubi loca unius ad alterum non concedunt accessum.

Habet quæ confirmant hæc asserta, ipse Ravanell. bibl. Sacr. in voce Congregare. §. XIII. Congregare aliquem, est, vel, eum benigne suscipere, vel etiam eum perdere. Ergo formalis conceptus vocis non est de multis, cum sufficiat unus, qui vere congregari dicatur. Et §. IV. Congregare est, eas vocare ad Ecclesiam per prædicationem Evangelii, & Congregare est vocare homines ad fidem & respicientiam Matth. XII, 36. Luc. XI, 23. ubi dicitur, non congregans cum Christo spargit. Ergo non omnis congregans ad certum locum convocat, qui sic congregatur, non mutato loco, ad Christum invisibiliter, cordisq; in fide accessu aggregatur.

23. *Ἐπισυνάγειν* toties non occurrit, loca tamen, quæ habentur, sufficiunt. De confluxu multitudinis, turbæve populi ad Christum, ad audiendum ipsius verbum, & videndum quæ patrabat miracula Marc. I, 33. Luc. XII, 1. De congressu convenientis Ecclesie visibilis Hebr. X, 25. De congregatione electorum in die extremo a Christo ad se ministerio angelorum perficienda, adeoq; de universali piorum congregatione, inchoanda in die iudicii, in omnem æternitatem continuanda, quæ non consummatur locali conventu, magis communionem gaudii & salutis sempiternæ, in æterna visione Dei, perpetuaq; conversatione cum Christo, exprimit Matth. XXIV, 31. Marc. XIII, 27. 2. Thess. II, 1.

Aggregationem nostri ad Christum quatuor modis fieri Balduinus in 2. Thess. c. 2. p. m. 1211. primo, in Regeneratione per sacramentum baptismi, ubi Christum induimus. Sic ad Christum etiam aggregantur infantes. 2. quotidiana renovatione per verbum & Sacramentum cœnæ hinc Ecclesia *συνάγωγὴ*, seu
con-

congregatio vel communio sanctorum appellatur, cujus genuinitives sunt omnes qui Christo adherent. 3. *in morte* per resolutionem animæ a corpore & hæc tantum est perseverantium in fide. 4. *in resurrectione* mortuorum seu in ultimo adventu Domini, per ministerium angelorum, quæ omnium perfectissima & jucundissima, perpetua quæ corpus quæ animam conjunctio cum Christo ter exoptata *συναγωγή*.

24. Ponamus itaq; de hac voce, qualem congregationem hoc in loco dicat, & quomodo illam? I. primo, propriissime, simplicissime *de congregatione spirituali* sermo Christi conceptus est. Non de aliqua illam figurante collectione disperforum Judæorum unum in corpus ex terris convocandorum, non etiam de corporali ad Christum in terris versantem accessu. Alienum est illos ad Christum congregatos dicere, sub alas ipsius, qui cum ipso visibiliter fuere conversati, & qui ex illis ad Christum aggregati fuere, aliunde id habuere. Neq; de visibili fidelium hypocritis mixtorum unum in locum ad celebrandum Dominum conventu, quia hæc aggregatio hypocritis communis. Ergo spiritualis est ad Christum aggregatio, quia qui sic aggregatur quatenus sic aggregatur, sub alis Domini per gratiam Salvatoris tutus ab ira, morte, diabolo requiescit, & defenditur. Ergo fidelibus propria hæc aggregatio est.

II. Fit illa *per fidem* ejus qui aggregatur, *per Evangelium* aggregantis ad se Domini omnes, qui fide id recipiunt, quos ad se recipit. Per quam aggregationem e morte ad vitam, e potestate tenebrarum, in regnum directi Dei filii, e metu infernali, in perceptionem ineffabilis gaudii in Domino, e statu servitutis in libertatem filiorum Dei transferuntur. Itaque *primo dicit hominis fidelis collectionem sive aggregationem ad Christum*, quando per fidem ad illum confugit, ut sub illius alis, sub umbra alarum ipsius tutus sit ab ira ventura, ne sæviat in ipsum fulmen legis, quod desæviit in Salvatore, ne experiatur tyrannidem Satanae, cujus potentiam Dominus conculcavit, cui se tradit defendendum, salvandumque. Ut exulem peregrinum congregat, qui hospitio excipit, cum eum alit fovetq; apud se, a que injuria imbrium, metuq; periculi, defendit & liberat, ita ad se congregat Christus hominem fulmine legis, sensuq; iræ mortisve territum, errantem, qui ad illum se recipit, ut sub ipsius protectione lateat. *Secundo, congregationem cum fidelibus ad Christum*. Et hanc consequenter. Quatenus qui per fidem ad Christum aggregatur, non solus aggregatur ad ipsum, sed aggregantur & multi per eandem fidem in Christum, cum illis igitur aggregatur ad Christum, ut fidelis & fideles dicantur ad Dominum congregari. Sic congregare voluit Judæos Christus per Evangelium, cum singulos aggregare ad se voluit.

III. *Terminus* itaq; congregatæ ad Christum fidelium multitudinis, congregationis in Judæis malignantibus, congregationi malitiose se opponentibus, frustra tentatæ, *alarum Dei umbra est*, Gratia & misericordia Dei Salvatoris, qua salvantur qui credunt, qua excidunt increduli, quæ tamen salutaris Dei Salvatoris gratia utrisque illuxit.

25. Quarta vox τέκνα brevius expediri potest. Intelligimus *Judæos singulos*, non quatenus unum corpus constituunt, sed quatenus singuli uno in corpore foventur, totamq; multitudinem velut matrem habent. Respectus liberorum, filiorum & filiarum qui ad patrem est, non minus est ad matrem. Non enim magis Isaac filius Abrahami, quam Saræ fuit. Non itaq; necesse est, id cujus respectu Judæi congregandi dicuntur τέκνα liberi, filii vel filiæ, sub patrum vel patris forma & similitudine in scripturis exhiberi. Satisfacit, si matris nomine venit. Hoc e longinquo petendum non est. Dominus urbem alloquitur, dicit τὰ τέκνα σς, liberos tuos. Ergo filii & filiæ Hierusalem, incolæ urbis sunt. Urbes matres appellari in sacra scriptura nimis frequens. Non necessarium est nasci in urbe, qui liberi urbis dicuntur, videri quasi ex illa nasci. Sufficit inhabitetur, per unionem quandam cum tota multitudine, civiumque cætu. Ergo & urbs tropice accepta pro cætu illam inhabitantium civium vel incolarum, mater est singulorum ipsam inhabitantium. Videbatur notatu dignum, adq; propositum aptum quod Flacius, in voce *Mater*, inter alia scripsit: *Significat hæc vox etiam ipsas totas congregationes ad pupulos: Singuli vero earum cives veluti pro liberis habentur.* Ita summi, imi, imperantes, obsequentes, docentes, discentes, singuli totius multitudinis liberi sunt, neque hæctenus ullius in alterum patris vel matris respectum habet.

Singulos totius congregationis cives τέκνα liberos h. l. a Domino intelligi, & vox ἐπισυνάγειν suadet, cujus primus conceptus aggregationem dicit singulorum, vel multorum, ut singulorum, hujus, istius. Proprie igitur aggregantur singuli, ut liberi, tota multitudo, singulorum mater congregatur. Ita Ecclesia tota ad Christum congregatur, singuli aggregantur ad illum fideles.

26. Singulos Judæos dico, non in universum omnes Judæos, sed singulos illius congregationis Judæos, quæ incredulitatis, malitiæ pervicacis, impiæ crudelitatis in servos DEI exercitiæ accusatur, Matris cui repudium misit, cujus liberos pro suis non agnoscit, sed ut degeneres, & perversæ matris genium exprimentes averfatur. Ad v. 38. cap. 23. Matth. notant magni interpretes, & multi, qui οἶκον domum templum explicant, dici illud domum non Domini amplius, non DEI domum, ut olim, sed a Domino Judæos compellente, *domum vestram*, quod recesserit ab illa Dominus gratiosam præsentiam suam subtraxerit, deva-
stan-

standam, comburendam tradiderit in manum hostium. Addunt, non potuisse non devastari, suam præsentiam subtrahente DEO, ut non potest non computrescere cadaver, cum discessit anima, cujus similitudinem habuit Deus ad templum. Non igitur incongruum τα τέκνα σας liberos tuos explicare, non amplius meos, sed tuos, tuam indolem, perversa mater imitantes. Accedit, sequitur: *ad quem modum gallina pullos suos τὰ νοσία ἐαυτῆς congregat*, ad eum modum, Hierusalem, liberos tuos congregare volui, non meos, in te, sed tuos.

27. Quinto & ultimo consideranda locutio est, quæ verbis ultimis exprimitur καὶ ἐκ ἠθέλησατε, & non voluistis. Tria videnda sunt ad propositum nostrum pertinentia 1. qui non voluerint? 2. quid non voluerint? 3. quomodo id non voluerint?

28. Ad primum. Permutatio numeri utiqve frustra facta non est. Putamus autem eo fine institutam, ut evidentius, ad quos pertineret hic Christi sermo, ostenderetur. Hierusalem, civitatem alloquitur, incolas, Judæos intelligit. Sequitur τα τέκνα σας liberos tuos, quem respectum singuli ad universum cætum habent. ἐκ ἠθέλησατε universæ multitudinis, totius Synagogæ deficientis a Domino, & Christum ejus persequentis unanimi studio, mala voluntas in eandem incredulitatem, credulitatem consentiens exprobratur. Noluit igitur congregari ad Christum cætus ille totus, quia singuli ad Christum aggregari noluerunt. Ut cum singuli fidelium aggregantur ad Christum, tota Ecclesia congregatur ad ipsum. Notatur igitur totius synagogæ consensus, singulis in eandem sententiam contra Christum & Evangelium ipsius, euntibus.

Non probamus igitur Calvinii glossam. *Et noluistis: hoc tam ad totam gentem referri potest, quam ad scribas: ego tamen de his potius interpretor, a quibus maxime impedita fuit collectio. Nam & toto contextu in eos invecus est Christus: & nunc quum singulari numero Hierosolymam allocutus foret, non temere videtur mox numerum mutasse.* Utiqve non temere, sed non ideo temere, si non ex ratione a Calvino allata. Si ad totam gentem referri potest, quod concedit, & Dominus, cætum repudiantium Christum alloquitur, ἐκ ἠθέλησατε non voluistis dicit, ut omnium unanimis in mala illa voluntate consensus demonstraretur. Ut unitatem præ se ferat sermo, & multitudinem non excludat, multos autem vinculo synagogæ suæ, & consensu contra Christum, unum. Ad scribas ita referri non potest, nisi consequenter, quia nullus e cætu, ergo nec scriba, cætus membrum. Sed eadem propinquitate hoc colligitur, quia nullus, ergo nec plebejus iste, vel scribæ auditor. Hactenus discrimen non est. Neque minus *impedita fuit collectio*, quam non factam Dominus conqueritur, a scribis, Christo pertinaciter

adversantibus, consiliumve Dei spernentibus contra semetipsos, quam a multitudine incredulorum Judæorum, sermonem Dei repellentium, & semetipsos vita æterna non censentium dignos. Idem impedimentum objectæ malitiæ & incredulitatis fuit. Unus æque atque alter non credentium Judæorum sui ad Christum collectionem impedivit. *Toto contextu in scribas investus est Christus,* Ergo & hæc ad illos pertinent. Non sequitur. Sed pertinent tamen, at non solos. Ad scribas cum exclusione audientium ipsos non pertinent, quæ inde a v. 34. habentur. Versu vero 37. aperta est Sermonis Domini ad totam urbem conversio.

29. Ad secundum. Non voluerunt, quid? id, in quod simplicissimus omnium sensus fertur, conceptus arte non factus, sed a natura sermonis impressus, non voluerunt *Congregari*. Christus congregare voluit, dispersos colligere ad se, conqveritur sæpe id se voluisse, relinquit nunquam successisse, quia non voluere, scilicet, ex dispersione colligi ad Christum. Ideoque umbra alarum Domini non protecti, omnibus expositi injuriis, periculis, mortibus in dispersione periere, quod sequentia dicunt. Ita non voluit Judæorum non credentium quilibet, scriba, plebejus, cum vocantem ad se Christum verbo Evangelii sui & offerentem serio fidem, salutem non admisit, repulit, persecutus est, in persecutionem consensit, mortem vel attulit vel factam approbavit, alios ab eodem Christo abstraxit, se subduxit, proximum abducere conatus est. Causa igitur impeditiæ in aliis ad Christum collectionis, tentatæ vel obtentæ, propria id molientis incredulitas fuit. Hoc igitur primum est, hæc origo mali. Scaturiginem persecutionum, cædium, lapidationum susceptarum, factarum ab incredula gente, cujusque incredulitas fuit. Ergo non voluere congregari ad Christum. Consequenter, *nec concessere alios congregari*. Quia non credidere ipsi, credentes persecuti sunt. Is enim animus est pervicaci malitia fidem aspernantium.

Itaque in superficie hæret, non penetrat Cornel. a Lap. & noluiti *quia Prophetas & me internecino odio ad mortem persequeris, nec permittis cives tuos ad me & Deum suum converti, maxime enim scribas alloquitur*, Abhorret ab hac expositione naturalis omnium conceptus, quem habent, cum audiunt verba Domini, qui hic est; & noluiti converti, cum te convertere sæpe voluerim. Ut qui a Domino convertitur, cum convertitur, per ipsius gratiam vult converti, & quia vult se converti, salvari, omnium conversionem, salutem optat, promovet, quantum potest. Ita qui malitiose sermonem fidei rejicit, convertique non vult, cum conversionem illam, quam averfatur, interpretatur averfionem a bono, & salute, odio fertur, persecutiones molitur, & cædes, in eos qui sic con-

ver-

vertere volunt, dispersurus si posset omnem conversum cæcum, qui se ad convertentem Dominum recepit, etiam se servire Deo in hoc sibi persuadens.

30. Si quis objiciat, omnino hæc pertinere ad scribas, quos alloquitur Dominus maxime, & officii non præstiti arguit, Suppleri posse ellipticam locutionem ex textu, & suppleendam necessario, si ex textu, quoties volui congregare liberos tuos ἐπισυναγαγεῖν, & vos non voluistis, supple, ἐπισυναγαγεῖν congregare, non congregari. Conqueritur itaque Dominus semper obstitisse sibi scribas in congregatione fidelium, idque contra officium suum, a Deo mandatum, qui illos scribas præfecit, ut verbo congregarent ad Dominum fideles. Verbo suo congregavit Christus, congregat igitur doctor, qua talis, qua verbum docet, congregatur qui audit. Sit ergo hæc Christi in scribas invectiva oratio, similis illi apud eundem Matthæum XXI, 4. Lapis quem reprobarunt ædificantes, ille factus est in caput anguli, a Domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris. Qui ædificantes, iidem congregantes, alia sub similitudine. Ædificare voluit Dominus, non voluere ædificantes, hoc est, angularem lapidem reprobare, quantum in ipsis fuit, compagem solverunt ædificii. Ædificium perfectum esse, nequicquam id impedire conantibus ædificantibus, & congregatos liberos esse Jerusalem nequicquam renitentibus scribis.

31. Repono, hac objectione non uti, qui de scribis interpretantur, & illud non velle, de conatu impediendi congregationem sub alis Christi fidelium, explicant; & si uterentur, nihil effecturus. Nam & hoc nativum non est, non simplex hoc supplementum. Non additum est, congregari, quia opus non fuit, & per se subintelligitur ut relatum, ad congregare quoties volui congregare, & vos non voluistis congregari, tantam emphasin non habet, quam cum simpliciter, & non voluistis, ut in malam voluntatem, qua impedita congregatio fuit, omnis detestatio incumberet. Neque aptum, volui congregare, vos noluistis congregari, scilicet illos, a volente congregare, & non volente congregari discretos. Quia qui non voluere congregari, dispersi fuere, & quatenus dispersi fuere, voluit Dominus congregare, quos voluit. Ponamus virum benignum, qui induat patris affectum erga desertum a parentibus, amicis, ope omnium, hominem, foveat illum, alatque, constituturus eum hæredum bonorum. Ab illo velit pater agnosci, atque ut ipse patris affectum induit, velit, illum filiali affectu animari, obsequium, cultum, quem filius debet, præstare sibi. Exuat hic hunc patris affectus debitum adfectum, rejiciatur indigno eo patrocínio, & cum hæredibus non connumeretur. Potest in exprobratione in detestanda ingratitude vir ille dicere, Ego pater esse volui, & noluisti. Ego te hæredem constituere

tuere volui, tu noluisti. Exi. Majorem vim habet, quam si adderentur, quæ superflua sunt. Correlata autem omnis naturalis conceptus subintelligit, noluisti scilicet esse filius, ideoque pater esse non potui, noluisti scilicet hæres constitui, & malitiose nolentem constituere non potui.

32. Illustremus exemplo, loco simili. Prover. 1, 24. *vocavi, & renuistis*, conferendo etiam, cum Esa. 1, 19. 20. *Si volueritis audire, bonum terræ comedetis. Et si renueritis & rebellaveritis, gladio consumemini, quia os Domini dixit. Velle & renuere adversantur, vi oppositionis, renuere est, non velle. Ergo vocavi, & renuistis, id est, non voluistis. Sed quid non voluere? vocare? non vocari alios, neque hoc prima vi locutionis istius. Sed noluistis audire, hoc est, non voluistis vocari ipsi. Sequitur: *extendi manum meam, & nemo attendens*. Et hæc simplex expositio est, conformis omnium conceptui, qui verba non torquent. Quæ expositio Prophetæ est Esaia LXV, 12. LXVI, 4.*

33. Ad tertium, *quomodo non voluerint. Non velle* apud Matthæum est averfantis aliquid destinato consilio, firmoque proposito. Matth. 1, 19. 11, 18. XV, 32. XVIII, 30. XXII, 3. XXVII, 34. de animo bono, justoque hominis non volentis rigido jure uti, obruto doloribus, non admittentis consolationem; intimis e visceribus commiserante, non volentis dissolvî fame vacuos, immiti, non volentis remittere, inque ea mente perstantis; de proposito averfantis potum, non bibendi. Itaque malitiosa, pervicax, præretica non-volitio est, de qua Dominus conqueritur, mentis id deliberato consilio statuentis, & firmiter sibi proponentis, non mutantis propositum, quamvis sæpius ut mutaret, invitaretur. quoties Dominus voluit, toties & noluerit isti. Id suadet velle oppositum, quod cum volentis dicat magnam contentionem, studiumque vehemens, non velle, erit, magna contentione, studioque serio aliquid averfantis, neque ullo modo consentientis. Largitur consensum suum disertis verbis Ravanell. part. 2. Biblioth. Sacr. pag. 792. b. non velle, pro, obstinate & malitiose renuere aliquid præstare. Joh. V, 40. vide quoque Matth. XXIII, 37. 2. Non voluere congregari, cum vehementer voluere, quod congregationem impedivit, non velle aliquid, est vehementer velle quod oppositum est. 1. Cor. X, 20. & *Θέλω non volo vos confortes demoniorum fieri*, hoc est, ad id contendo, idque volo, ut soli adhæreatis Domino, confer. 2. Cor. VI, 14. 15. 16. Eodem cap. V, 1. *non volo vos ignorare*, hoc est, quam maxime hoc vos scire volo. Esa. XXX, 15. *non voluistis* scilicet quieti esse, ad me Deum vestrum conversi, mihi que soli fidentes, voluistis autem me deserto sollicitare auxilia, exterorum, in quæ omnes mentem oculosve convertitis, inde salutem sperantes. Matth. XVIII, 30. *non voluit* misericordia uti
erga

erga debitorem, hoc est inclementer illum excepit, tractavit, quia festinatam solutionem debiti urfit. Inter impedimenta illa, infelix nimiusve amor mundi est, explicante Christo Matth. XX, 3. seqq. confidens præsumptio propriæ justitiæ Rom. X, 3. Fastus superbe Christum contemnens Luc. XIX, 14. Vehemens itaq; amor eorum, qui fidelem receptum ad Christum non permittunt, odium inflammavit & acuit in illum, qui inde avertere, atq; se convertere voluit, apud quem, quæ desiderabant, invenire vel videre non poterant. 3. Quo igitur ferventius voluit Christus congregare, eo magis incredulorum in se accendit odium. Indurabatur magna Salvatoris misericordia, sapius oblata, abutens in perniciem sui malus animus. *Non volitio* ista per gradus progressa, cum averfata Christum, Prophetas, Apostolos ab ipso missos, fuisset, cum expulisset urbibus, cum verberasset in Synagogis, cum irrisisset, & contumeliose dimisisset, tandem ad cædes progressa est congregantium. Malitiosæ illius non-volitionis hoc extremum exprimit Christus. Jerusalem, ἀποκτείνουσα &c. Matth. XXII, 3. 4. 5. 6. 7. Non-volitio Judæorum, volitioni Christi opposita est. Hæc serium studium, syncerum congregandi illos affectum, dicit, declaratum, prædicatione Evangelii, missione Evangelistarum, Apostolorum ante Prophetarum. Non volitio Judæorum utriq; adversata fuit. Et internum odium complectitur, & contumaciam mentis, non cedentis convincenti illam Spiritui Christi, & externas, foras prodeuntes inimicitias, contradictiones, blasphemias, quibus verbum Evangelii exceperunt, & exilia, flagra, sanas, cædes, quibus Apostolos & Evangelistas. Hæc non-volitio perditionis causa est.

34. Ad καὶ quod attinet, nota Piscatoris necessaria non est. *Copulativam pro adversativa poni; sub alas? sed nolulistis.* Simplicius reddidit Beza, *sub alas, & nolulistis?*

35. Expensis itaq; vocibus, quarum examen ad propositum nostrum videbatur necessarium, ad Examen Interpretationis, quam Adversarii afferunt, quam genuinam non agnoscimus, convertimur. Eam ex Gomaro maxime, qui ejus defensionem suscepit, eque Spanhemio proponemus, cum rationibus quas addunt. Post in illam inquiramus. Gomarus part. i. oper. pag. III. a. eam sic explicat, ut rationes misceat, quas deinde aliquoties repetit. *Nec enim Christus dicit, quod illi, quos per internam Spiritus regenerantis efficaciam vocare voluit, congregari noluerint: sed tantum, quod Jerusalem, hoc est primores urbis, quales fuerunt Sacerdotum principes & doctores, Scribæ & Pharisei, patres dicti, obstiterint, quo minus Christus ipsorum liberos, hoc est, subditos &*

C

disci-

discipulos congregaret: id quod tamen invitis etiam illis a Christo factum. Rationes Gomari, quibus hanc interpretationem firmat, duæ potissimum sunt. 1. *Oppositio relatorum*, nempe *Jerusalem & liberorum illius*. 2. *Connexio cum antecedentibus*: quemadmodum initio reprehensionem & comminationem, adversus Scribas & Phariseos vers. 13. incepit; *Væ vobis Scribæ & Pharisei &c.* Sic hoc loco eandem concludit, amplificatione quadam ut etiam principes populi ac Sacerdotes comprehendat, qui simul cum Scribis & Phariseis, ut patres populi, impio conatu vocationem & congregationem eorum variis modis, impedire, sunt conati.

36. Priori rationi nimium tribuit Gomarus, necessario intelligendos esse Hierosolymitanos principes per Jerusalem ob vim oppositionis, quæ inter ista relata intercedit, quamvis ullibi in sacro codice vocem Jerusalem hanc significationem habere, reperire non potuerit, concesseritq; hoc solo in loco id significare, id efflagitantibus circumstantiis. Ita enim pag. III. a. *falsam hypothesis appellat, quasi necesse esset, ut omnes omnium vocum Sacrae Scripturae significationes, multis in locis extarent: cum contra fieri possit, ut uno tantum in loco circumstantiis illius hoc postulantibus, usurpetur vox aliqua.* Applicat hæc ad præsentem locum in sequentibus: *Sic hoc in loco nomen Jerusalem per Metonym. incolas illius; ac deinde Synecdochice, non omnes; sed primores eorum inter quos etiam erant Pharisei & Scribæ) hoc loco notat, licet eo tropo alibi non reperiat; quod circumstantiæ hanc significationem, in hac Christi sententia flagitent, alibi vero nequaquam.* Sed quæ illæ sunt circumstantiæ? pag. III. b. *cum Jerusalem, urbis habitatores sæpe notet, per metonym. sic & hoc in loco Matth. 23. non diversa significationis species est, sed eadem significatio, ut Hierosolymitanos notet scriptura more: hoc tamen discrimine, quod non omnes, sed digniorem eorum partem: Quia circumstantia oppositorum liberorum (id est, per metaphoram subditorum) ad patres eorum, hoc est, primores (ut a Paulo Act. 22. v. 1. appellatur) necessario restringit. p. III. a. hoc tamen permaneret firmum, eosdem quos Christus voluit congregare, & vi congregationem noluerunt esse diversos.*

37. Ita ergo textus habet, exponente Gomaro. *Jerusalem, primores urbis, patres, attributa hoc loco Jerusalem effecta, nempe nolle liberos suos a Christo congregari, primoribus tribui possunt optime. Jerusalem quam noluit congregari. pag. III. a. Volui vos congregare, hoc diserte de liberis Jerusalem tantum dicitur p. III. b. Congregare, per internam Spiritus regenerantis efficaciam vocare pag. III. a. Volui, serio & cum proposito congregandi, id est, salvandi pag. III. a. nolulistis, neq; illud negligendum est, hoc in loco nullum aliud effectum Jerusalem,*

mi, adversus Christum congregationem volentem, adferri, quam quod noluerint; ac propterea ut impedivisse eam congregationem probent, ex hoc loco non obtinebunt .p. 112. b.

Concludit Gomarus: In quamcumq; formam se verterint adversarii, illud clarum manet, Jerusalem liberos, quos Christus voluit congregare, & Jerusalem quam noluit congregari esse diversos. & post: ac propterea falsum est, Christum hic dicere, eos quos voluit congregare, eosdem noluisse congregari. p. 112. b. Atq; hanc sententiam p. III. a. bis genuinam sententiam & expositionem loci dixit.

38. Pergit tamen Gomarus, atq; ut & reliquos, quos agnoscit suos, quos aliter textum interpretantes vidit, conciliet, & illorum interpretationem muniat, affert pro defensione, quæ prius ab ipso positorum, fidem labefactant. Quid si objectio adversariorum esset vera, atq; ita verba sonarent, Ego volui te congregare, & tu noluisti congregari, &c. ambiguitate vocis voluntatis abutuntur. Nam voluntas aut decretum voluntatis, seu certam animi de re futura intentionem, ac propositum notat &c. aut approbationem, quæ aliquid gratum habet Deus, tanquam bonum &c. Sic Deus probat hominum conversionem, tanquam bonum, utpote officium debitum, idq; mandat, & gallinæ glocitantis, pullosque advocantis instar vocat, suo verbo exterius: interius vero in solis electis fidem per Spiritum Sanctum regenerantem donando, efficaciter congregat. Atque hoc modo dici posset Christum mandasse ac probasse, congregationem multorum, quos verbo vocavit, etsi eos efficacia interna Spiritus non congregarit. p. 112. b. 113. a.

39. Frideric. Spanhemius Exerc. de Grat. Univers. adh. 1. Si Christus animam miserendi habuisset, nihil plane obstitisset vel obstare potuisset: quo minus tales fuissent conversi & salvati p. 1186. Christum sibi vehementissime dolere, testificari. Quis mortalium serio, minus vehementissime dolet de re, quæ in manu ipsius est, quam pro arbitrio præstare & procurare sine ullo dispendio suo potest, nec vult tamen. Nescio, unde habet, Christum & cum lacrymis vociferatum dixisse: Jerusalem &c. p. 1187. In vindiciis, quas a pag. 118. ad h. l. instituit, partim iisdem quibus Gomarus utitur rationibus, partim aliqua superaddit, in quibus a Gomaro discedit, quo ipso sibi contradicit incautius.

40. Cum Gomaro commune habet, quod notat. p. 1188. peccatur, dum supponitur liberaliter, Deum eos voluisse congregare, qui non fuere congregati. Ratio prima Calvinii est, cujus evidentia primas tribuit Spanhemius. Distinctio personarum evidens est in Textu Græco. Nec enim ibi legimus, καὶ οὐκ ἠθέλησαν,

σαν, & illi, scilicet, liberi tui noluerunt congregari, sed, καὶ ἐκὼν ἠθέλησατε & nolulistis, vos scilicet Patres istorum liberorum. Secunda, est Gomari posterior ratio, quam obviam, facit, obvium sane, ex contextus sacri inspectione, Christum roto illo capite Phariseorum, Scribarum, adeoq; totius ordinis Ecclesiastici &c. Unde Christus antomastice loquitur de Hierosolyma occidente Prophetas. Tertia, Gomari prior est, cujus eam vim censet, quam Gomarus censuit. Quum itaq; per Liberos intelligi debeat plebs subiecta & obnoxia directioni istius Hierosolymæ, utiq; per illam intelligi debent Patres, illi, qui nomina ista affectabant anxie, ut patet ex Matth. XXIII, 8. Quicumq; etiam per Hierosolymam intelligantur, certum semper, distinctionem illorum dari, quos Deus congregare voluit, ab iis qui congregationi isti resistere.

41. A Gomaro discedit, quo ipso quæ prius posita sunt, evertuntur, cum Volitionem, quam sibi tribuit Christus, & Congregationem, de qua loquitur, explicat. Ad prius. Volitio ista Christi, ut notum, haud quaquam referri potest ad voluntatem beneplaciti Christi. Rationes affert aliquot, I. Si enim ita voluisset omnium & singulorum Hierosolymitanorum congregationem, revera illi fuissent congregati: ista enim voluntas adimpletur potenter & efficaciter, II. Adde istius voluntate Hierosolymam testem esse non potuisse, ad cuius tamen testimonium hic provocat Christus, quippe quæ interna est & latens &c. Ratio III. Adde volitionem proprie dictam Christi de salute hominis, esse actum non discretum, & multiplicatum ac interruptum, ut ita loquamur, sed unum & constantem. At hic Christus inquit, ποσάκις ἠθέλησα, quoties volui, &c. Referri ergo debet ad voluntatem præcepti, quæ improprie voluntas vocatur. p. 1189. & 1190. Concludit Christum illos nec absolute voluisse congregare, qui noluerunt congregari, nec conditionate. Non absolute, quia omnes fuissent congregati: Non conditionate, detur conditio, quæ non recurrat cum re ipsa. Huc redibit interpretatio istius volitionis, Christum voluisse tales congregare, si se congregassent, eos convertere, si se convertissent. p. 1191.

42. Congregationem sic exponit. Verbum Ἐπισυναγαγεῖν haud quaquam notat operationem internam, sed externam tantum, quæ consistit in præceptis, & hortationibus ad pœnitentiam &c. Rationes habet quas annectit. Et sane 1. verbum Græcum non designat operationem internam. 2. Nec, quod ei respondet, verbum Syrum אכניא in Aphel, unde venit nomen abstractum בניו Congregatio, & similia, externum tantum actum vel statum notantia. 3. Nec id fert similitudo adhibita a Domino: congregatio enim pullorum a gallina externa duntaxat est. p. 1191. Concludit, Christus itaque hic loquitur ut Minister circumcisionis &c. (Beza, de externo ministerio loquitur. Piscat. discedet Christus von seinem menschlichen Willen/ als ein Diener der Beschneidung/ Embdani. Act. Syn. Dordr. p. m. 738. qui ut Evangelii sui minister, omnes suos auditores promiscue aggregare voluit

luit ac etiam studuit; sicut & fidei omnes ministri, relicto penes Deum arcano suo consilio; facere consueverunt.) Et sane quum desertam Judæorum domum futuram decreverit Deus, nec illud decretum rescindi potuerit, id haudquaquam eversum voluit Christus volitione proprie dicta adeoq; nec id voluit, proprie loquendo, per quod eversum fuisset. Immo, si id voluisset Christus, facile ipsi fuisset, id ipsum effectum dare, & omnibus illis Judæis gratiam respicientia & fidei largiri. p. 1192.

43. Evidens & aperta est tantorum virorum contradictio. Ille de volitione Christi, quæ impleta sit, quæ congregati, quos voluit congregare, quia voluit. Hic de voluntate Christi, quæ impleta non sit; quæ præcepti est, quæ non congregatur, qui congregatur, quia eum sic vult congregari. Quod Gomarus ait dici posse, & tum dici posse, quando statuitur hæc esse Christi sententia, voluisse eos congregare Christum, qui congregati non sint, quod tamen quando statuitur, id statuitur, quod per Gomarum clare falsum est, Id censet Spanhemius necessario dicendum, haudquaquam aliter, quod bis posuit, exponi posse. Atque hoc, cum præmiserit, peccare liberalem istam suppositionem, non congregatos esse quos Christus congregare voluit. Ergo volitio hæc Christi per alios efficax fuit, per alios non efficax.

44. De voluntate efficace, hoc est, ut explicant, quæ consequitur eventum explicat Musculus Loc. Comm. p. m. 414. *Et noluisti, hoc est, adversata es, contradixisti, repugnasti. Illa quidem filios suos ab illo colligi noluit, sed ea quoque nolente filios ejus collegit ipse quos voluit.* Petrus Molinaeus Act. Synod. Dordrecht. p. m. 409. *Ego pertendo, hos pullos actu & revera esse congregatos; quamquam reclamantibus Hierosolymis. Nam per Hierosolyma, primores, sacerdotes, & scribae intelliguntur; per pullos vero populus, cujus Deus misertus est. Tum illud, quoties volui male intelligunt de voluntate antecedente, quæ est decretum Dei; cum velle hic nihil aliud sit, quam invitare & jubere.*

Ergo per Musculum, Liberi Jerusalem, quos congregare voluit Christus, ii sunt, quos Deus novit suos, quos filios habet in mundo dispersos, ideo de voluntate explicat congregandi, quæ efficit, quod vult, de voluntate decreti, beneplaciti, juxta quam quos voluit coelos, & quam voluit terram, fecit. Molinaeus, populum cujus misertus est. Ergo illum congregare voluit, voluntate illorum miserendi. Ergo volui congregare, non nihil aliud est, quam invitare & jubere, & voluntas est invitantis ad se, ex Serio & miserevole invitatorum affectu. Quid opus est, pertendere, pullos illos actu & revera esse congregatos, ideoque Jerusalem significare primores reclamantes, si velle hoc loco nihil aliud est quam invitare, jubere, & voluntatem interpretari signi, quum ipsi met doceant, non congregari omnes, quos sic congregare DEUS vult, & vi istius voluntatis solius neminem converti. Gomarus, hoc ut cohereret explicatio, aliter interpretatus est, & thesi suæ convenienter.

45. Ea ex causa *Johan. Deodatus* de voluntate signi explicat, quia huic volitioni Christi restitisse congregandos, adeoque non factum esse, quod voluit agnoscit. Ita ille ad *Matth. 23. 37.* poi ch' a Dio non puo convenire la volonta imperfetta di semplice desiderio, segno d' infermita, *Sal. CXV, 3.* e che'l suo decreto e immutabile, e non patisce alcuna oppositione, *Isa. 46, 10. Rom. 9, 19.* conviene per necessita intendere tutto cio della dispensatione demezzi esterni, nella parola, esortationi, comandamenti &c. che sono la regola, el' obietto dell' ubbidienza de gli huomini, e l' argomento della condannatione della lor rebellion: benche spesso il segreto beneplacito di Dio non sia stato d' adempier l' opera: ma che'l tutto si stato, o per prova della malitia dell' huomo, o per altri fini. vedi *Deut. 29, 29. hoc est quandoquidem DEO convenire non potest voluntas imperfecta simplicis desiderio, signum infirmitatis Psal. CXV, 3. Et quia ejus decretum est immutabile, nec ullam oppositionem patitur, Isai. 46, 10. Rom. 9, 19. convenit ex necessitate intelligere omne hoc de dispensatione mediolorum externorum, in verbo, exhortationibus, praeceptis &c. quae sunt regula, Et obiectum obedientiae hominum, Et argumentum condemnationis rebellionis ipsorum: quamvis saepe secretum beneplacitum Dei non fuerit implendi opus: sed quod id totum factum sit, aut propter probationem malitiae hominis, aut ob alios fines vide Deut. 29, 29.* Itaque *Joh. Deodatus* de voluntate illa non explicat, de qua *Pl. CXV, 3.* Sermo est, de qua quia explicat *Musculus*, congregatos esse quos congregare voluit Christus, asserit. Sed voluntate, quae saepe per voluntatem secretam beneplaciti divini, non impletur opere, quae resisti sibi patitur, quia immutabilis non est.

46. Allegatur pro volitione quae impleta sit, a *Musculo Augustinus*. Locus est ex *Enchiridio Augustini ad Laurentium parte 8. libr. August. cap. 97.* quoties volui, & noluisti. tanquam *Dei voluntas superata sit hominum voluntate, Et infirmissimis nolendo impediens, non potuerit facere potentissimus quod volebat. Et ubi est illa omnipotentia quae in caelo Et in terra omnia quaecunque voluit fecit, si colligere filios Hierusalem voluit, Et non fecit? An potius Et illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente, filios ejus collegit ipse quos voluit, quia in caelo Et in terra Et c.*

47. Citat *Gerhardus Harmon. Evang. cap. 158. p. 74. b. Fulgentium lib. 2. de Remiss. peccat. cap. 2.* qui eandem interpretationem afferat. Verba *Fulgentii* exscripsit. additque, de eo Christum proprie hoc loco non agere, quod *Fulgentius* statuit. At quae *Basilea* prodiit Anno 1621. editio, quae *Fulgentii Episcopi Ruspensis*, opera Theologica, quae quidem adhuc extant, diligenter recensita, promittit, liberos illos duos non habet: quos tamen *Trittenhemius* libr. de scriptor.

ptor. Ecclesiast. p. 32. b. inter volumnia a Fulgentio, Ruspensi in Africa Episcopo, scripta, refert.

48. Magister sententiarum Lombardus locum Augustini exscripsit lib. 1. distinct. 46. c. 1. quibusdam pro explicatione adjectis. *Ubi est ergo omnipotentia, quæ in cælo & in terra, secundum Prophetam, omnia quæcumque voluit, fecit? & quomodo voluntati ejus secundum Apostolum nihil resistit, si colligere filios Hierusalem voluit, & non fecit. Hæc enim prædictis plurimum obviare videntur.* Solvit objectionem cap. 2. verbis Augustini additque, ut sit sensus, *quoties volui congregare filios tuos & nolui? id est, quotquot congregavi mea voluntate semper efficaci, & nolente feci.* Ecce in evidenti positum est, quod illa Domini verba superioribus non repugnant. Similis videtur hæc Lombardi Conclusio, quæ solutionem suam finit, illi Conclusioni, quæ Augustinus Torniellus, Annal. Sacr. Tom. 1. pag. 53. b. ad an. Mundi 1. §. 10. maledictionem Gen. 3. serpenti inflictam etiam diabolo, & quæ diabolo, etiam serpenti, accommodat, & institutam collationem concludit, *Ecce quam belle hæc inter se cohærent.*

49. In examine harum Interpretationum, & rationum, quibus probantur, resolutione, initium faciamus ab iis quos enumeravimus ultimos, ut definamus in primis, cum quibus præcipue agendum nobis est. Ad Lombardum quod attinet, dicimus in summa rei, & sensu interpretationis suæ ab ipso intento nobis Magistratum non adversari. Loquitur ille de voluntate Dei, quæ Deus decrevit aliquid facere, atque ad id exequendam omni vi sua uti, potentia sua omnipotente, de voluntate justii judicis, & omnia disponentis, ubi nihil fit in omni rerum natura quod non vel facere ipse, vel permittere ut fieret constituerit apud se. Quamvis igitur hoc primo non intendatur a Domino, congregatos esse divina virtute illos Hierusalem liberos, quos consequente voluntate sua, quam exequitur potentia sua, omnem contra insurgentem potentissimorum potentiam infringente, decrevit congregare; verissimum tamen est, congregari ad Christum omnem hominem, quem voluntate consequente congregare decrevit, hoc est, hominem fidelem, nequicquã renitente mundo. Ita Lombard. lib. 1. dist. 45. L. *Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri, quæcumque sunt male: non enim hæc nisi justo judicio Dei finit: & post, nolens mala finit, volens bona operatur.* Hoc voluntatis consequentis est, liberrime decernentis Dei, quantum boni operari, quantum mali permittere velit. Ait, *nolens mala finit, volens bona operatur.* Sensus non est, nolens finit mala, volens operatur bona, quia jam dixerat, volentem eum sinere mala fieri & volentem eum operari bona ipsismet, quæ sunt, ut ostenderet, Deum eadem ratione non velle bona & mala

mala, addit illud, hoc sensu, Deus volens finit fieri mala quæ non vult, & velens operatur bona ipse, quæ vult. Aliam igitur rationem subit voluntas Dei, quæ vult bona, & non vult mala, & voluntas illa, quæ vult permittere fieri malum, & facere bonum. Illa prior est, hæc sequitur, non enim finit, post non vult, seu averfatur, sed cum averfaretur, permittere tamen ut fieret liberrime decrevit. Itaque secundum hanc Dei voluntatem, vel finentem, vel operantem, omnia quæcunque fiunt, fiunt. 2. Certum est semper facere Deum, quod absoluta voluntate Creatoris, vel consequente voluntate iusti iudicis facere constituit. Ibi operatur illa omnipotentia, quæ in cælo & in terra, omnia quæcunque voluit fecit. Hic illa, cui nemo resistit. Efficat itaque quod omnipotente potentia sua efficere decrevit. Atque si superari posset infirmissimorum hominum voluntate voluntas DEI, ut ipsis id nolendo impediens non possit facere potentissimus quod ita voluit, utique omni potentia Dei labefactaretur. Atque hanc Lombardus Deo efficacem voluntatem, qua, omnia obstacula pertrumpente vi sua efficere decrevit, quod voluit, cum tribuit, bene facit. Non enim potentior est malitia hominum Dei potentia, neque superatur, cum non fit, quod antecedenter Deus fieri voluit. 3. Voluntatem beneplaciti divini, quæ recte appelletur beneplacitum Dei, & illam voluntatem quæ bona præcipit & consulit, vocat Lombard. lib. 1. dist. 45. F. *ut probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta.* Guilielmus Estius super l. i. dist. 45. §. 7. *imprudenter* Magistrum hac in positione accusat. pag. 220. *voluntas signi quæ a parte complectitur præcepta, prohibitiones & consilia, vocatur quidem ab Apostolo Rom. 12. voluntas Dei beneplacita, verum non ea ratione quæ voluntatem Dei absolutam diximus beneplacitum Dei vocari, licet Apostoli locum imprudenter huc alleget Magister §. F. Sed ab objecto, quia si fiat & impleatur a nobis, quod Deus præcipit aut consuli, hoc utique placet Deo.* An imprudenter hoc fecerit Lombardus posset disquiri, maxime cum Apostolus sic loquitur; & an eo nomine imprudenter, quia illa Dei voluntas beneplacita non est beneplacitum Dei, eo sensu quo Estius voluntatem Dei absolutam beneplacitum Dei dixit. Agnoscit Magister voluntatem Dei non volentem malum, quod fieri tamen volens finit. Et illam ad beneplacitum Dei refert. Et illa voluntas immutabilis est, 4. Quamvis hæc ita habeant, & omnia fiant, quæ Deus absoluta vel consequente voluntate ut fierent decrevit, etiam videatur Lombardus voluntatem Dei beneplacitam statuere ejus quod non fit, unde Scholasticorum divortia sunt, simpliciter tamen dicendum est, male susceptam esse defensionem omnipotentis Dei voluntatis mala explicatione dicti Christi. Non sequitur, volui congregare. Ergo ea voluntate, quæ
Deus

Deus coelum creavit & terram, vel ea voluntate cui nemo resistit, atque ut obtineretur ex hoc loco hæc voluntas, non erat contranitendum nativo sententiæ Domini sensui. Improbamus itaque Magistri interpretationem, quia sic colligit, voluit congregare, ergo congregavit, quos congregare voluit, quia congregare voluit, quasi a veritate devient, qui dicunt, Deum multa vel fieri quæ non fiunt, ut judicat ipse distinct. 46. C.

50. Quia igitur solutio Lombardi præ se fert absolutam in Deo voluntatem salvandi, quos salvat, discedunt ab ipso Commentatores, & libere a Magistro dissentiunt. Albertus Magnus l. i. sent. dist. 46. art. i. *An voluntas beneplaciti in Deo per aliqua possit impediri.* Ad responsiones Magistri subjicit: *sed quia istæ solutiones videntur relinquere quod tota salus dependet a voluntate Dei &c. magis videtur dicendum cum Job. Damasceno quod Deus vult voluntate antecedente & non consequente, & utraqve est voluntas beneplaciti &c.* Addit; communiter desereri Magistrum, & deficere ad Damascenum Magistros: *Magistri nostri temporis duobus aliis modis dicunt idem cum Damasc. &c.* Idem in Postill. super Matth. ad locum nostrum: *hic ostendit etiam ad malos suæ dilectionis affectum & effectum &c. hæc patent in litera eos qui (ex magna charitate) ad se missi sunt quoties volui. est ostensio dilectionis etiam nolentibus & reluctantibus. Congregare. in unum cor & unam animam, sicut erat multitudinis credentium Act. 4. Gallina. quæ etiam non suos fovet & congregat. Et noluisti. hoc est etiam: quos congregavi te nolente & reluctante congregavi: Certum est non everti per hoc, quæ ante exposita sunt. Explicavit Albertus. de magnæ charitatis & dilectionis Domini affectu, & effectu benefico revocantis, etiam pertinaci malitia perverfos Judæos, ut loquebatur. Ideo non simpliciter ad verba & noluisti, hoc est, quos congreg. &c. sed est etiam, & hoc verissime, sed consequenter. Quia si voluit congregare, non volentes congregari pertinaci malitia, quod dicitur in textu, utique omnes quos congregavit, quod alibi in sacris literis dicitur, illis pertinaciter malis renitentibus & luctantibus, congregavit.*

51. Scotus l. i. dist. 46. quamvis voluntatem beneplaciti explicet, quæ impleatur semper, in quo ab Alberto dissentit, sic tamen explicat, ut in re dissensus non sit: *velle voluntate beneplaciti est ultima determinatio quæ potest poni ex parte voluntatis ipsius omnipotentis volentis ponens effectum in esse. Ergo respectu cujuscunque effectus Deus est sic volens illud erit.* Quamvis etiam bene expositum a Magistro locum Matth. 23. scribat, addatque: *vide expositionem magistri & nota eam,* tamen idem in expositione loci 1. Tim. 2. a Magistro abit, tali explicatione utens, quæ & loco Matth. 23. eadem ratione applicari queat, ut ad h. l. Magistri expositio, non videatur notabilis. 1. Tim. 2. posset exponi &c.

D

tamen



tamen multo melius posset exponi de voluntate antecedente, sic enim vult omnes homines salvare & salvos fieri quantum scilicet est ex parte sui & voluntate sua antecedente.

52. Bonaventura. Inter multa hæc habet: Damasc. facit vim in modo volendi. distingvit enim in Deo voluntatem antecedentem & voluntatem consequentem. Et voluntas antecedens est voluntas respectu ejus propter quod Deus hominem facit & est irrefragabiliter bonorum &c. Voluntas antecedens dicitur a magistris voluntas conditionalis sive voluntas qua Deus vult quantum in se est &c. Huic responsioni magis consonans magistri, quamvis utraqve bona sit.

53. Thomas Aquinas super l. i. dist. 46. q. 1. utrum Deus omnes homines salvos fieri velit. ad 1. Tim. 2. Respondet dicendum secundum Damascenum, quod voluntas est duplex scilicet antecedens & consequens, & præfert explicationem Damasceni, secundum quem verbum Apostoli intelligitur de voluntate antecedente, explicationi Augustini, secundum quem intelligitur de consequente. Atqui eadem est ratio loci Matth. 23. distinct. 47. q. 1. in Resp. dicendum, quod quicquid vult Deus voluntate consequente totum fit, non autem quicquid vult voluntate antecedente. Idem super Matth. quæ Lombardi sententiam, & aliorum supra citatorum, non firment notavit. Ex Chrysostr. ad civitatem Dominus convertit sermonem. ex Orig. si quis non fuerit congregatus ab eo, judicabitur quasi noluerit congregari. Eis qui noluerunt congregari sub alis ejus, comminatur Christus &c.

54. Lamberto Daneo prorsus cum Lombardo non convenit, cum tamen expositio Lombardi sit eorum, qui in parte, a qua Danæus stat, maximi habentur. In opusculis suis pag. 1297. ad l. i. sentent. dist. 46. c. 2. In hac tum objectione, tum solutione peccatur, quod vox, volui, arcanum Dei consilium, & voluntatem beneplaciti non designat: sed voluntatem Dei patefactam, quæ ab istis signi voluntas appellatur, quæque externo Prophetarum ministerio declarata est, &c. Censura Danæi ad finem distinctionis pag. 1299. reprehendit 1. aµεδοδείαν Magistri, 2. obscuritatem vel falsitatem 3. & quod discipuli cum suo Magistro non bene consentiunt &c. Si autem juxta Danæum, peccatur a Lombardo in objectione & solutione ista, peccavit & Augustinus, ex quo habet, quæ habet Lombardus. Peccaverit etiam Gomarus, qui genuinam illam expositionem esse prædicat.

55. Ad Augustinum quod pertinet, quam expositionem tradat, quomodo, & qua occasione, ex allegatis verbis & contextu patet. 1. Volitionem Christi volentis congregare liberos Hierusalem, de voluntate, quæ impleta sit, frustra id non volente Jerusalem, interpretatur. Ad dum sic interpretatur, a simplicitate textus discedit, 2. Interpretationem tamen suam non obtrudit, quid dici

dici queat, ostendit. *An potius & illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente filios ejus collegit ipse quos voluit.* Pertinet hoc ad applicationem ad verba Christi. Nam certum alioqui est, nolente malitiosa Jerusalem, filios ejus, quos novit suos Dominus, a Domino congregatos? Certa itaque res est, sed non ita certa interpretatio, quæ verba hæc de ista re exponit. Ideo ad interpretationem refertur, *an potius.* Sed ad interpretationis perfectionem necessaria est analogia fidei, quæ tamen sola non sufficit. 3. Occasio autem Augustino fuit assertio omnipotentis Dei voluntatis, boni omnipotentis. Sic cap. 96. Enchir. ad Laurent. *Hoc nisi credimus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium quæ nos in Deum Patrem omnipotentem consitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult, potest, nec voluntate cujuspiam creature voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Eam voluntatem cap. 95. dicit, *certam & immutabilem & efficacissimam.* Quæ autem hæc sit voluntas videtur aperte insinuare, Augustinus. Loquitur de voluntate, quæ Deus utique non injuste noluit salvos fieri, cum possent salvi esse si vellent. de qua in Psalmo, *in cælo & in terra omnia quæcunque voluit fecit.* quæ indignum est, dicere impedire voluntatem hominis ne faciat quod omnipotens facere voluit. Quæ omnipotens fieri vult, quicquid fit, vel sinendo ut fiat vel ipse faciendo cap. 95. Apparet hæc de voluntate concepta esse, quæ Creator omnipotentissimus omnia in cælo & in terra absoluta voluntate sua produxit, ubi nulla potest extra Deum potentia creature impedire ne creetur a Deo quod producere & facere ipse absoluta & simplice voluntate sua decrevit, Indignum Deo est, impediri a voluntate hominis ne faciat omnipotens ipse quod facere decrevit, ad quod exequendum omnipotente potentia sua uti vel simplice vel consequente voluntate apud se constituit, præviso jam omnium rerum ordine. Voluntatis consequentis est, non velle fieri salvos, qui potuissent salvi esse, si non nolissent, voluntatem hominis sufficiens auxilium spernentis sequitur, & quæ injuste non punit, peccata antegressa respicit. Voluntatis ejus, quæ fieri vult, quod sinit fieri, quod permittere decrevit, quod ipse non facit, prævidit aberraturam creaturam, errorem non vult, errorem tamen permittere & sinere decrevit. Non itaque de voluntate loquitur quæ antecedente necessitate omnia efficere decrevit, sed quæ ordinavit prævisos & sinendorum & faciendorum omnium eventus & effectus, de Voluntate consequente, ultimata. 4. Media hac in disputatione ipse sibi objicit Augustinus sententiam Domini, quæ concepta sit de voluntate Dei congregare volentis. Fecit Augustinus, quod solent illi facere, qui certam thesin defensuri, objectionem, quæ thesin non ferit, admittunt, eo sensu quem non habet, sed quo affertur, ut etiam illo sensu non adversari thesi ostendant ex superabundanti. Simplicissimum itaque est, di-

cere, de voluntate absoluta, vel consequente, ultimata, non conceptam esse sententiam Christi, adeoque necessarium non esse videre quomodo expleta sit illa volitio, quam inexpletam sæpe relinqui certum est. 5. Itaque omnipotentiam Dei non negant, vel primum fidei confessionis initium labefactant, qui antecedentem voluntatem Dei non expletam dicunt, quæ omnipotente & omnia perrumpente vi, uti non decrevit circa Creaturam rationalem, libertate arbitrii a se donatam, sed ipsa quousque velit progredi, quid permittere aberranti Creaturæ, quid non, constituit in omnem eventum, quo præviso & subjacente liberrimæ sapientiæ divinæ dispositioni, quæ & ex malo bonum producere novit, consequenter permittere voluit, & circa illud malum facere ipse bonum, quod antecedente etiam voluntate vult. 6. *Lambertus Danaeus* opusc. p. 871. phrasibus, *permittere, sinere* Deum fieri peccata, non admodum favet, atque in permissionem nudam invehitur, quæ sit nuda tantum & sola tanquam obdormientis & non curantis Dei permissio. Ita sc. de ea locutus, ut jure videatur locutionibus istis non velle uti. Idem p. 873. ad cap. 97. Enchirid. August. agnoscit *Augustinum verissimam loci solutionem non attulisse*, quod de voluntate exposuerit, quæ impleta sit, cum de ea volitione explicandus sit, quæ sæpe contemnitur ab hominibus, & ideo non semper fit.

56. Bibliotheca Patrum, Tom. VI. Codon. Edit. An. 1618. ex editione Antwerpiana An. 1574. libros duos Fulgentii ad Euthymium de remissione peccatorum, habet. Non probari possunt quæ habet l. 2. c. 2. de voluntate Dei, si de omni voluntate Dei in universum absolute accipiantur. *Quia enim ille vult, qui omnia quæcumque voluit fecit, quod vult semper insuperabiliter facit, hoc utique in eis impletur, quod omnipotentis Dei voluntas incommutabilis & insuperabilis habet. Cujus sicut mutari voluntas non potest in dispositione, ita nec prohibetur, nec impeditur potestas in opere: quia nec æquitatem illius valet quisquam juste reprehendere, nec misericordiam ipsius potest aliquis obviare.* Certum est quodcumque consequente, ultimata, vel absoluta, simplice voluntate Deus vult efficere, & decreto peremptorio facere constituit, insuperabiliter ipsum facere, quia potentia, qua superior nulla est, id facit. Sed neque mutatur Dei voluntas, quando actu non salvat hominem, quem antecedente voluntate salvare voluit, neque superatur insuperabilis Dei potentia, quando bonitatem Dei malitia hominis spernit, cum salvare non potest per justitiam, quem salvare potuit absoluta sua potentia. Disposuit Deus ordinem quo ad salutem contendunt, qui eam consequuntur, voluntate immutabili. Disposuit quia dilexit ordinandos, quibus ad ingrediendum istum ordinem sufficientem vim decrevit, quia omnes salvare voluit. Æquitatem ordinis istius non recte reprehendit quisquam, quia qui sapientissimam optimamque, Dei dispositionem
impru-

imprudentiæ vel injustitiæ arguere queat, nemo est. Non mutatur ordo, nec voluntas quæ ordinem voluit, cum non vult salvare, qui ordinem istum spernit. Non enim spernentem Dei voluntatem hominem salvare voluit, quem tamen in miseria demersum & perditum salvare voluit. Etiam in opere potestatem nemo impedit, quia nulla potentia] e manu Domini fidelem rapit, nec misericordiam hanc impedire potest, quæ se effundit super fideles & in ordine constitutos. Itaque & irresistibilem sive insuperabilem in Deo potentiam agnoscimus, & voluntatem immutabilem, ut efficiat Deus quicquid efficere decrevit, idque efficiat ea ratione, eousque, qua ratione, quousque liberrime voluit. At non sequitur, Ergo quicquid Deus in Sacris literis velle dicitur, id insuperabili voluntate exequitur, vel exequi decrevit. Ergo & alia voluntas in Deo agnoscenda est, qua serio vult, quod non facit, nec facere potest, salva justitia sui ordinis, & alia ab illa, qua quod vult, facit, quia sic vult. Alienior igitur est Fulgentii expositio locorum S. Scripturæ, cap. citato tradita ab ipso.

57. Guilielm. Estius l. 1. sent. dict. p. 221. rejicit sententiam Augustini, quam de absoluta Dei voluntate hanc volitionem interpretari, posuit: *Tertia expositio est de absoluta Dei voluntate &c. sic exponit Augustinus. Sed obstat quod Ezech. 24. Dominus simili cum exprobratione dicit ad eandem civitatem, mundare te volui & non es mundata a sordibus tuis (vers. 13.) Unde apparet etiam hoc loco Dominum significare, non esse factum, quod voluisse se dicit. Alias itaque interpretationes amplectitur, ex quibus simplicissimæ sententiæ nostræ veritas emicare videtur. Quartam expositionem affert: Christum ac Deum hoc voluisse non in se sed in piis & sanctis hominibus quos miserat & velle fecerat, ut sit sensus: quoties iis quos ad te misi Sacerdotibus & Prophetis aliisque justis sanctum desiderium tuæ salutis inspiravi, & ut pro filiorum tuorum conversione laborarent, fecit at tu pios eorum conatus & vota semper frustrata es. Addit Estius: Sensus hic textui congruit. Quintam Expositionem numerat, ut significetur voluntas signi consistens in preceptis &c. non male, cum sit contextui valde conformis qui de missione Prophetarum loquitur. Hanc voluntatem signi, dixit, voluntatem preparationis, quæ ordinatio est, causa ad effectum seu medii ad finem, licet effectus seu finis non sequatur, quod talis ordinatio in hominibus soleat significare voluntatem ipsorum de effectu. Potest etiam aliquo modo dici voluntas beneplaciti, non quidem respectu effectus ad quem refertur, sed respectu mediorum per se conducentium ad hujusmodi effectum. Sic Estius. Agnoscit in volitione ista Domini sanctum desiderium salutis congregandorum, & voluntatem seriam, illa Domini est, per claritatem textus, volui id est velle feci, non volui ipse, ex textu non fluit. Et tamen volitionem hanc Dei facit, sed voluntatem signi tum explicat, non beneplaciti.*



Cum igitur duas istas explicationes textui conformes statuit, in eo conformes non sunt, in quo contradicunt sibi, sed in quo conveniunt. Ergo per Expositionem quintam volitionem qua voluit Christus congregare Christo, Deo tribuamus, qua voluerit ipse: per Expositionem quartam, agnoscamus in ista volitione sanctum desiderium salutis & congregationis. Et qui confert media per se conducentia ad finem, hoc ipso finem vult ad quem per se conducunt, & quia finem vult, media ista confert. *Piscator* voluntatem beneplaciti in hac volitione Christi agnovit, quæ tamen impleta non sit, ideo de voluntate humana Christi explicat *Gomarus*, voluntatem beneplaciti explicat, quæ impleta sit, ideo de voluntate Christi, Dei, cum aliis exponit. *Estius*, ita *Deodatus*, quia volitionem Christi, Dei explicant, quæ tamen impleta non sit, ideo ad voluntatem signi se recipiunt. Simplicissimum est, Christum Deum voluisse voluntate beneplaciti, quæ tamen impleta non sit. Nam quod *Estius*, *Voluntatem beneplaciti* in Deo definit, *qua absolute quippiam Deo placitum & constitutum est ut sit aut fiat &c.* necessitatem admittendæ definitionis non imponit, qui putamus tutius esse, cum scriptura loqui, quam simplicissimas scripturæ sententias, ut descriptioni tali conveniant, flectere, & nativum sensum invertere.

58. Loca a citatis hactenus Expositoribus allegata, ad probandam simplicem, & omnipotenter omnia volita exequentem, voluntatem Dei; non probant. Psalm. CXV, 3. *omnia quæcunque voluit, fecit, &* Ps. CXXXV, 6. *omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra, mari, & in omnibus abyssis.* Omnipotentiam Dei Creatoris, Conservatoris ista prædicant, potentiam promissa quævis implendi, potentiam quæ confundat Gentilium Deos, adeo nihil posse illos contra omnipotentem Dominum Deum Israelis. Omnia quæ fecit, voluit, nec fecisset si non voluisset, omnia etiam, quæcunque facere voluit, creavit & produxit. Timendus itaque solus est, cujus super omnia potentia est, Confidendum soli, qui solus defensor & Salvator sufficit, nec diffidendum promissis omnipotentissimi. Non sequitur, Ergo quicquid vult, quomodocunque id velit, facit. Quod sinendo vult, non facit. Quod vult conferre, quod promittit, conditione præsentem, non dubitandum est, quin collaturus sit, cum de voluntate bona constet, de potentia autem quæ id præstare valeat, dubitare non permittat, admiranda mundi creatio & conservatio, potente brachio perfecta populi Israelitici ex Ægyptoeductio. Rom. IX, 19. *Voluntati ejus quis resistit?* Absolutam & irresistibilem voluntatem in negotio ibi tractato non probat. Datur voluntas Dei, cui resistere & resistunt multi, nemo cum fructu, nemo cum jure. Voluntas autem Dei miserentis fidelium huius, istius, damnantis impoenitentes, & indurantis, voluntas consequens est, quia justis iudicis. Quam voluntatem consequentem eam potentia exsequitur, qua cælum & terram creavit.

vit. Atque ita de Deo misericorditer salvante, & iuste damnante agit Apostolus. Plura de his locis dicere, non est nostri instituti.

59. Gomari expositionem cum fiducia, quam simplicitas nativi sensus in explicandis sacrae Scripturae oraculis presse & prudenter tenenda firmat, dicere possum, *violentam* esse expositionem istam, quae in mentem non venit candidioribus ab ipsius parte interpretibus, Rationes autem quibus eam probat, ita comparatas esse, ut genuinam interpretationem, quae Gomari genuinam subruit, eo ipso confirmet, quod cum ex professo hujus loci defensionem suscepit, firmiores producere non potuerit. Cum perpenderem, mirabar, tantum istis a Gomaro esse tributum, ut sub earum clypeo suam sententiam produceret. Sed videbimus illarum soliditatem. Duas numerat ipse, Ad 1. quae oppositionem relatorum urget, quae inter Ierusalem est, & inter liberos ipsius, hanc oppositionem audet circumstantias appellare textus, quae postulent, quae flagitent, Ierusalem explicare urbis primores, ad quam synecdochicam acceptionem haec oppositorum circumstantia necessario restringat. Nolim dicere, vocis alicujus significationem, per circumstantiam aliquam, quae probata sufficienter & irrefragabiliter non est, quae tot patitur instantias, ad acceptionem, quae alibi in omni sacro codice non occurrit, confitente ipso, necessario restringi. Talis certe necessitas non cogit vel urget. Certum est oppositionem esse Ierusalem, & liberorum ipsius. Ita sane. Ergo Ierusalem parens liberorum, & liberis omnibus in universum sumptis realiter differt, hoc non sequitur Magistratus urbis, primores populi a subditis omnibus etiam collective sumptis realiter differunt, sed haec bona consequentia non est, sub idea patris vel matris qui vel quae liberos habet proponitur, ergo a liberis in universum sumptis realiter differt, ut Abraham ab omni liberorum suorum multitudine, vel Achab. Non evictum a Gomaro est, congregationem liberorum Ierusalem quam Dominus voluit, respicere liberos omnes una, ut simul sumptos, cum primo ex genuina vi vocum respiciat singulos. Atque ita obtinebit oppositio & realis distinctio Ierusalem & liberorum, ut singulorum, quamvis liberi omnes simul sumpti realiter a Ierusalem non differant, quia istorum liberorum unio, ipsa tota congregatio, ipsa mater est. Ita totum a partibus differre stant, qui de rebus ex evidentis rationis iudicio statuunt. Partes totius partes sunt, Et totum praeter partes nihil est. Totum tamen a partibus differt. Differt a partibus singulis realiter, si corpus humanum a brachio realiter differt, ita a suo corpore homo, quia quod a brachio realiter differt corpus habet, & quod a corpore homo. Non differt a partibus omnibus simul sumptis, quia Totum ex partibus unum est. Interim inter Totum & partes oppositio est. Ergo & Ierusalem, & ipsius liberi opponi possunt, & tamen non sequi, quod Gomarus censet necessario per istam oppo-
sitione-

sitionem sequi. 2. Non contemnendo præjudicio oneravit sententiam suam Gomarus, dum concessit, idque, ut de istius Viri hoc in negotio industria sentiendum videtur, evolutis & perspectis laboriose & studiose locis omnibus, in quibus vox Jerusalem occurrit non inveniri in ista significatione vocem hanc amplius, unde asserit, necessarium non esse, ut cujuslibet vocis quælibet significatio bis terve occurrat, cum produxerit acceptionem vocis, in sacro codice frequentissimæ, quæ tamen semel tantum, idque certo & evidenter posse evinci, habeatur. Id negari non potest validam & evidenter convincentem rationem eam esse debere, qua vocis in S. Scriptura frequentissimæ in omnibus aliis locis inusitata probetur significatio.

60. 3. Quæ exempla affert extra dubium posita non sunt. Confidenter scribit p. III. a. *Mundi vox Rom, XI, 12. 15.* Certissime notat gentes omnes mundi, præter Judæos, seu fidelium omnium gentium cætum, quemadmodum distinctio Judæorum incredulorum ibidem evincit, Neque alibi tamen hæc synecdoche reperitur. Ita Ravanell. part. Biblioth. Sacr. p. 120. *Mundus pro gentibus quæ ad Deum convertendæ erant Rom. XI, 12. 15.* Certior notatio est quæ mundum illum ita ampliatur, ut universas gentes, universum gentium cætum complectatur, ut idem sensus sit, qui a Christo expressus est. Matth. XXI, 43. a que eodem Paulo Act. XIII, 46. ut divitiæ Evangelii annunciata, & reconciliatio in Evangelio omnibus exposita intelligantur, ut non necesse sit, ita coarctare mundum illum, ut capiendo tantum fidelium gentium cætus sufficiat. Vocatio illa utique fidelium propria non fuit. Atque sic mundus opponatur Judæorum incredulorum cætui, non ut singulis non credentibus, sed ut cætui Evangelium repellenti, e quo cætu exiere qui crediderunt, & se ad cætum gentium Evangelium admittentium & prædicantium contulere. Eadem ratione probari non potest, quod Ravanell. notat l. c. p. 119. *Mundus, pro solis electis, regeneratis & fidelibus ex genere humano in toto mundo collectis, & nobiliorem mundi partem constituentibus.* 2. Cor. V, 19. Ubi Reconciliatio merito Christi acquisita, & per verbum Reconciliationis eam accepturis & non accepturis promiscue oblata, a Reconciliatione admissa, & recepta per fidem, & malitiose non repudiata distinguenda est.

61. 4. Alterum quod affert exemplum & ipsum non caret scrupulo, *Ecclesia vox pro primoribus Ecclesie Matth. 18, 17.* ut circumstantiæ demonstrant, certo accipitur, (dic Ecclesie) & tamen alibi eo sensu in sacris literis non observatur. Sed neque hic necessarium est, Ecclesiam pro primoribus Ecclesie accipere, quia circumstantiarum demonstratio certa non est. Hunnius in h. l. *devolve rem totam ad cognitionem Ecclesie, aut certe eorum, qui tanquam nobiliora membra Ecclesiam representant.* Dicat igitur ille, qui jubet ut Ecclesie dicere, eam representantibus nobilioribus Ecclesie membris, sive ut Gomarus loquitur, Ecclesie

clesiæ primoribus, non sequitur, Ergo Ecclesia cui id dicere jubetur, Ecclesiæ primores sunt. Licet applicare huc, quæ *Panormitanus* optime dixit, Ecclesiam errare non posse, & tamen Ecclesiam repræsentativam seu Concilium, quod Ecclesiam repræsentet, errare posse. apud Gerhard. Exeges. de natur. Theol. §. 22. *Concilium potest errare, sicut alias erravit &c. nec obstat si dicatur, quod Concilium non potest errare, quia Christus oravit pro Ecclesia sua, ut non deficeret, quia dico, quod licet Concilium generale repræsentet totam Ecclesiam universalem, tamen in veritate non est vere universalis Ecclesia, sed repræsentative, quia universalis Ecclesia constituitur ex collectione omnium fidelium, unde omnes fideles orbis constituunt istam universalem Ecclesiam, cujus caput & sponsus est ipse Christus, & ista est illa Ecclesia quæ errare non potest.* Ita primores Ecclesiam repræsentant, cui dicere ille jubetur, sed non sequitur, Ergo primores Ecclesiæ, sunt illa Ecclesia, cui dicere id jubetur. Et qui ad primores Ecclesiæ causam suam devolvit, eaque mente qua Christus jussit, Ecclesiæ dicit, totius Ecclesiæ judicium in sua causa expetit, discutiens causam, vel discussam judicans, vel judicatam approbans suffragio. Non volo, Ei, qui ita dicere jubetur, conveniendos esse singulos in Ecclesia, vel etiam universum necessario cæcum semper convocandum esse, ubi primores Ecclesia habet, illi primo compellendi sunt, quia ad id ab universa Ecclesia electi. Dixerit itaque Solis primoribus, qui tamen quia id primoribus dixit, dicatur Ecclesiæ id dixisse, tamen non sequitur, ergo Ecclesia hoc in loco solos primores significat Ecclesiæ. Ut non sequitur, homo intelligit, atqui sola anima intelligit. Ergo homo in illa propositione solam animam significat, circumstantia hæc homini tributa, intellectio, solius animæ est, & tamen certum est, hominem ibi pro anima non accipi. Ita percussit Adoniam Benaia, qui animam percutere non potuit, non sequitur, eam ob causam, Adoniam, ubi ille percussus dicitur, certe pro corpore ipsius accipi.

62. 5. Quod inter alia exemplum affert extra controversiam non est. p. III. b. 1. Cor. XII, 12. ita & Christus: *Christi nomen ponitur, pro Ecclesia Christi, quæ spirituale ipsius corpus vers. 27. & quidem ut nullo alio scripturæ loco, eo modo usurpetur: quod etiam ad solutionem objectionis primæ, ante allatæ, ac confutata pertinet.* Non adeo infreqvens est, neque Apostolo in hac ipsa epistola inusitata, elliptica oppositio, quæ evoluta, genuinam vocum significationem, quæ presse & arcte tenenda est, asserit & firmat. Ita & hæc hoc in loco instituta relatio inter nos homines, & Christum, corpus nostrum & corpus Christi. In priore membro expresse ponitur, quod in posteriore reticetur, sed supplendum ex relationis vi. Ita quod in posteriore expressum est, in priore subticetur. Ergo Christus cum corpore nostro simpliciter non confertur, sed cum nobis

E

corpus



corpus habentibus. Non meminit nostrum, in priore membro, sed corporis nostri, in posteriore membro, Christi, non corporis ipsius. Atque ut homo non est suum corpus, ita nec Christus Ecclesia, neque hoc in loco pro Ecclesia necessario accipitur, ita ut dicendum sit, Christus hoc in loco pro corpore mystico ponitur, quum relatio inter corpus nostrum, & corpus Christi fiat. Expressius locutus est Apostolus Rom. XII, 4. *quemadmodum in uno corpore membra multa habemus. Ita & Christus*, ut hic loquitur Apostolus 1. Cor. XII, 12. in uno corpore suo membra multa habet. Uti Abraham pater est Isaaci, ita filius Isaaci Jacob est. Plena locutio ex utriusque complemento. Uti Abraham pater est Isaaci, & Isaacus Filius Abrahami, ita Isaaci filius Jacob est, & Jacobi pater Isaacus. Quod *Gomarus* asserit, nullo alio scripturae loco, vocem, Christus, eo modo usurpari, *Ravanellus* a quibusdam negari testatur, biblioth. sacr. p. 1. p. 263. *item (secundum quosdam) Gal. III, 16.*

63. 6. Non eo fine hæc examinare volui, quod putem, cujuslibet vocis quamlibet acceptionem sapius debere occurrere, sed ut confirmetur objectio, quam confutare his exemplis objectis *Gomarus* præsumpsit, & solidissime confutasse sibi visus est. Jerusalem *Gomarus* pro primoribus urbis accipit. Objicitur, nullibi in sacro codice hoc esse vocis hujus significatum. Admittit *Gomarus*, sed addit, non esse id necesse. Hæc *Gomari* responsio non satisfacit, quia a significatione vocis, quæ in sacro codice frequentissima est, & quam illa frequentissime innumeris pene locis habet, recedere, & statuere in loco controverso novam significationem, quam nullibi habet, nisi clarissima evidentiâ urgentis necessitatis adacti, nullo modo possumus. Atqui Jerusalem, eam inhabitantium Judæorum sæpissime significat.

7. Sed addit *Gomarus*, *non esse illam diversam significationis speciem*, quia & hoc loco Hierosolymitanos significat, quamvis primores solos. Fallit hæc *Gomari* exceptio. Per *Gomarus* diversa significationis species est, quando Jerusalem pro urbe ipsa accipitur, ab illa, quando metonymice Hierosolymitanos significat. Ergo & diversa significationis species est, quando ulteriore tropo per synecdochen solos Hierosolymitanorum procures significat. Fateatur autem & Metonymiam & Synecdochen vocis Jerusalem hoc in loco.

64. 8. Ad usum communem provocat *Gomarus*: *Neque etiam alienum est ab usu communi, ut a civitate factum dicatur, quod a solis primoribus, seu senatu illius, ut patrie patribus, factum.* Ita sane, Ergo civitas in istis locutionibus, senatum civitatis, vel primores, ut patriæ patres, significat; hoc non sequitur. Provoco ad conceptum omnium, quem naturalissimum habent audita locutione simili. Atqui ea vocis significatio est, quæ loquentis conceptui congruit, quæ ab omnibus qui eam audiunt, concipitur. Cum dicitur, Hierusalem

rusalem trucidare solet Prophetas Domini, vel injuste condemnare ipsos: omnium conceptus est, de cætu inhabitantium, quamvis soli primores judicialiter condemnent, quia quos hi condemnant, tota universitas per ipso s condemnasse dicitur, qui conceptus exprimitur urbis voce posita. Hoc ipso igitur, quia quod a solo Senatu fit, & actu secundo decernitur, a tota civitate factum dicitur, & universis imputatur, quod Senatus facit, ideo ad id usurpatum urbis nomen, non primores solos, vel senatum solum, sed universum cætum significat.

65. Sed videamus ipsam illam oppositionem relatorum, Jerusalem & liberorum ejus, cui tantum tribuit Gomarus. Dico plures posse esse expositiones Relationis istius, non absurdas, ut illa Gomari necessaria non sit, utpote alienior ab hoc loco: Relationem autem, quæ propriissima huic loco est, in sacra scriptura evidenter fundari. Non contemni potest a Gomaro illa expositio, quæ per Jerusalem intelligit *urbem cum incolis*, atque ita non de urbe cum exclusione incolarum, sed eorum inclusione exponit. Et liberos urbi sic acceptæ tribuit incolas, quos velut liberos vel genuit ex se, vel educavit cura sua, fovetque sinu suo, vel quos nutrit ut mater quæ gremium omnibus ad ipsam confugientibus aperit. Sic enim ipse pag. 112. a. ad Luc. XIX, 41. *vox Urbis Synecdochice urbem cum incolis suis designat, ut attributa demonstrant: quorum pars quædam, ad incolas seu habitatores illius, pars ad urbem ipsam, pars denique ad utrosque pertinet. Nam ignorantia eorum, quæ ad pacem pertinet, ad incolas spectat v. 42. dejectio in solum, ad utrumque; Primo ad urbem ipsam, secundo ad liberos, seu incolas, ut simile indicatur Psal. CXXXVII, 9. & rursus lapidum destructio ad urbem ipsam refertur. Causa vero illius. Luc. XIX, 44. est ignorantia visitationis suæ, quæ ad incolas pertinet. Atque hinc apparet, destructionem, & urbis & populi, a populi incredulitate oriri. Ita liberos, urbis cum incolis, incolas explicat. Qui ergo vocem urbis, Jerusalem, de urbe explicant per Luc. XIII, 33. 34. incolas tamen non excludunt, ad quos quæ sequuntur pertinent, sic explicant, ut hanc vocis acceptionem in simili etiam sermone Christi, explicante Gomaro, in sacra scriptura usitatam habeant, & liberos, incolas, commode explicant, ut respectus liberorum ad primores ut Patres necessarius non sit. Ita dejectio in solum Luc. XIX, 44. ad utrumque, hoc est, ad urbem & incolas pertinet, & *ad terram prosternent te (urbem) & filios tuos qui in te sunt (incolas)* Sic & in loco nostro, *filios tuos qui in te sunt.* Sed malim Jerusalem apud Matth. explicare cætum inhabitantium & ad illam confluentium Judæorum, sic tamen ut omnis ad urbem respectus non excludatur. Ita ut & illud Luc. XIX. quod ad utrumque sed divisim referre videtur Gomarus, ad utrumque conjunctim applicari queat. *Urbs tota mater est proprie**



prie & metonymice accepta. Liberos habet, utroque modo sumpta. Urbs mater est, quæ ex ædificiis constat, quæ mæniorum, domuum ordinem unitum dicit. Liberos habet turres, ædificia, omnia ex quibus sic accepta, constat. Liberi illi ex ipsa videntur nasci & liberi singuli matris gremio foventur & proteguntur. Urbs per tropum accepta, significans inhabitantem populum, & ipsa Liberos habet, inhabitantes cives singulos, qui singuli sinu totius universitatis foventur, aluntur, defenduntur. Ita dejecta ad solum Hierusalem est, tota civitas everfa, & dejecti muri, & prostratæ turres, & combustæ domus sunt. Neque singulos tantum promiscue Judæos illa dejectio prostravit, sed & primo omnium unionem solvit, & congregationem dissipavit, rupto unitatis vinculo, quo Hierosolymis continebantur gens Judaica. Ita *deicient te* (ad urbem, & congregationem populi in ea) filios tuos in te (ad domus, & singulos cives, domuum inhabitatores) commode referri potest. Primo itaque Matth. XXIII, 37. Jerusalem, inhabitantium multitudinem significat, per ea quæ illi attributa sunt.

66. 2. Neque explodi prorsus potest, respectus liberorum Jerusalem ad Jerusalem ita explicatus, ut *cives generationis posterioris*, prioris generationis liberi dicantur. Ut generatione una decedente, altera surgat generatio, quæ prioris filia sit, atque ut generatio generationis soboles, ita membra generationis hujus, membrorum generationis prioris filii sint & liberi. Ubi quælibet generatio & filia & mater est, ut filius hominis, & homo pro eodem habentur in scriptura. Patres hoc in respectu primores non sunt, quatenus primores sunt. Sic congregare voluerit Dominus filios Jerusalem sapius, congregaturus & patres & liberos, quia & patres, quos Jerusalem habuit, filii fuere. 3. Vel exponantur filii patrum, *cum patribus viventes*, nondum patres facti, nondum novam generationem complentes, & illos congregare voluit, qui noluerunt congregari, sequentes & exprimentes indolem parentum. Jerusalem, Jerusalem, (tota inhabitantium multitudo parentum, liberorum) quoties volui congregare liberos tuos (liberos quos habes, afferendos ad me manu parentem) & nolulistis Congregari. (Parentum malitiam imitantes liberi adduci nolunt, nec venire.)

67. Simplicissima expositio Relationis illius, quæ est liberorum Jerusalem ad ipsam, ab Apostolo Paulo tradita est. Gall. IV, 25. 26. ubi Jerusalem serviens cum liberis suis, cum Jerusalem libera cum liberis suis, quos cum matre, illa Jerusalem cum suis liberis, persequitur, quæ libertatem Christi respuit, ad illum colligi non vult, proinde quos ad ipsum videt colligi, persequitur. *Ἡνῶν Ἰερουσαλήμ ἀγλέυει μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. Ἡ δὲ ἄνω Ἰερουσαλήμ, ἐλευθέρα ἐστὶν ἡμῖς ἐν μητρὶ πάντων ἡμῶν. Hierusalem, quæ sursum est, Ecclesia Christi est.*
Liberi

Liberi illius fideles sunt. Ierusalem serviens, tota Synagoga est, Liberi ejus, omnes operarii, omnia Synagogæ membra. Respectus autem Liberorum, ad Ierusalem, non est respectus liberorum ad Patres, sed ad Matrem, ut expresse loquitur Apostolus. Est mater omnium nostrum. Qui respectus in allata allegoria fundatus est, etiam in sequentibus confirmatur. Ierusalem autem quæ sursum est, est mater omnium fidelium, hoc est, singulorum fidelium. Quia fidelium singuli eam matrem venerantur. Et Doctores, hujus filii sunt, & ab Apostolo mater agnoscitur. Ecclesia autem tota Sanctorum communio est, & præter fideles nihil, ut corpus præter membra nihil est, Ecclesia autem corpus Christi mysticum est. Ergo tota fidelium multitudo unum corpus Christi mysticum constituens mater est fidelium singulorum, quia omnium credentium. Unus est Spiritus Domini, Spiritus libertatis, qui hoc corpus animat, eo singuli ducuntur fideles, in unam Ecclesiam per illum collecti. Hierusalem quæ non sursum est, hoc est, totus Judæorum incredulorum cætus, justitiam suam stabilire satagens, & justitiæ Dei in Christo se non subjiciens. Illa Spiritum servitutis habet. Membra Synagogæ, hoc est, singuli justitiam operum statuentes, illius filii & filia sunt. Mater cum filiis repudiata a Christo est, ob pertinacem desertionem sui, hoc est, totus ille cætus & singuli in illo a Christo separati. Cum hæc simplicissimum sensum loci nostri exprimant, & stabiliant, respectum illorum liberorum ad primores urbis a Gomaro allatum, ut conquistum arte, & contortum vi non probamus.

68. At, inquit Gomarus, a Paulo Act. XXII, 1. *primores appellantur Patres, Ergo liberorum Ierusalem respectus quem ad Ierusalem habent, est ad primores, qui Ierusalem dicuntur.* Consequentia bona non est, neque antecedens certum. Non certum est primores, a Paulo ita appellari, ac proinde eorum esse tantum hoc loco nomen, qui potestate Ecclesiastica vel civili pollent. Simplicius *patres* intelliguntur, *omnes seniores & ætate majores* Paulo ut fratres appellat omnes æquales. Non fratrem compellavit, qui senio grandævus, nulla potestate valuit; eo sensu, quo idem Paulus a Timotheo ut patres coli vult omnes Seniores, juniores autem, & Timotheo juveni æquales, fratres 1. Tim. V, 1. Agnoscimus igitur *Ravanelli* expositionem Gomari glossa simpliciore, p. 2. bibl. Sacr. p. 236. *ergo quos reverentiam, & honorem testari volumus, solemus vocare patres,* addito hoc ex Act. loco. Et si concedatur, solos primores a Paulo hoc nomine esse compellatos, non sequitur. Ergo Christus, liberos Hierusalem in respectu ad patres illos dixit. *At primoribus optime tribui potest, quod Ierusalem h. l. attribuitur effectum* (nam Gomarus Effectum effecta dicit, ut & circumstantiam circumstantias) nempe *nolle liberos suos a Christo congregari.* Melius quam primoribus, tribuitur toti Synagogæ, matri, spiritu servitutis actæ, Christum des-

renti, quæ non vult ullum filiorum suorum congregari ad Christum a Christo. Noluitis, ad totam multitudinẽ, ad Ierusalem dictum, singulos, qui liberi sunt, congregari noluisse ostendit. *At volui congregare, diserte tantum de liberis dicitur.* Ambigua phrasis est, sed quid velit Gomarus non ambiguum videtur, sed id quod vult non certum facit. In illa phrasi liberorum tantum mentio diserta fit, at voluisse tantum liberos colligere Dominum, hoc diserte non dicitur. Diserta unius mentio, non est alterius diserta negatio. *Noluisse congregationem primores Gomarus concedit, ut impedivisse illam, ex hoc loco obtineri non posse, affirmet, idque non negligendum putet.* Congruè ad thesin suam, quamvis aperte Calvinus scribat, *impeditam a scribis collectionem fuisse.* Sed diversa via ad eundem finem uterque contendit.

69. Ad II. Rationem Gomari, quæ connexionem cum antecedentibus habet, Respondeo, eam ita ut priorem non urgeri, eique contradici ab authoribus non condemnendis. Quos Dominus Prophetas misit, sapientes, scribas, ad primores solos non misit, sed ad universam Judæorum multitudinem, neque Dominus ad solos primores missus fuit circumcisionis minister, sed ad circumcisionem omnem. Docuit in Synagogis Dominus omnes ibi congregatos: docuit ad se confluentem multitudinem Judæorum, ita ad omnes locuti Apostoli, primus Petrus primam concionem non ad primores in Synedrio habuit, sed ad eum qui confluit populum Act. II, 14. Nec illi soli occidunt vel crucifigunt qui ad illa suppliciorum genera condemnant, & iudicium pronunciant, sed & qui exequuntur, qui approbant. Crucifixere Christum, qui Pilatum, ut crucifigendum traderet, promoverunt, qui id optarunt omnes. Sermonis itaque amplificatio, & ad plures extensio jam a v. 34. incipit. Sanguis occisorum iustorum venit super totam generationem v. 36. Versu vero 37. evidens est amplificatio querelæ, ad totam se extendens urbem ad totam nationem Judæorum, quæ tot scelerum rea, supplicia illa sustinuit. Neque satisfacit communia hæc Judæis fuisse aliis, sed Dominum de aliis non conqueri, neque in aliis ista reprehendere hoc in loco, quam in Phariseis & Scribis & v. 34. ad vos, eos compelliari, qui ante semper. Nam nec quæ inde a v. 13. institutæ de Phariseis & Scribis querelæ sunt, ad eos solos pertinent omnes, sed & multa ex illis ad Judæos omnes, quos simul compellatis illis intellexi Esse, extensio sermonis v. 36. ob ea quæ præcessere scelera v. 34. ut Luc. XI, 49. 50. 51. ostendit. Ita Matth. XV, 1. cum Phariseis & scribis Dominus disputat, quorum hypocrisin dum reprehendit, totius Judaici populi, cuius illi præstantiora membra, objurgat v. 8. Quia & causa istius objurgationis in toto reperiebatur populo, ut Marcus in eadem materia VII, 3. *Pharisei & omnes Judæi.* Reprehensurus itaque Dominus totam gentem, præstantiores ex illa nominat, in quibus evidentius apparebat toti genti communis hypocrisis, malitia, in Christum odium, genius sanguinarius.

70. Con-

70. Concludo. Falsum ergo non est, quod Gomarus adeo confidenter falsum asserit, Christum dicere, eos quos voluit congregare, eosdem noluisse congregari: Nec peccat sua libertate hæc hypothesis, Deum voluisse congregare, qui non fuere congregari, quod censet Spanhemius,

71. Ratio Spanhemii, ad idem obtinendum; prima, *distinctionem personarum in Græco textu evidentem* objicit. Evidens sane est distinctio illa, sed supplementum Spanhemii, non voluistis, vos scilicet Patres istorum liberorum, hoc non est evidens. Non ferebat sermonis ordo, dici, & noluerunt, quamvis hoc velit, & quod id velit, pateat. Ad urbem conversus, exprobraturus illi ingratitude, incredulitatem, crudelitatem, numerum mutat, ut quos velit ostendat, noluistis, incolæ Jerusalem, cujus liberi, ipsius cives sunt. Liberi ejus in ea. Non debebat igitur dicere, & noluerunt, dicturus hoc, liberos prædictos, noluisse congregari.

72. Ad II. videntur sufficere, quæ superius posita sunt. *Obvium est*, ita sane, & qui textum legit, obvium videt, ordinem Ecclesiasticum majore cap. 23. parte reprehendi, sed hoc obvium non est, ad solutum illum pertinere, maxime quod v. 37. de Jerusalem dicitur. Vel si certum est, per Jerusalem intelligi illos solos, in quos a v. 13. invecus Christus est, & obvium est Christum invecum esse in solas scribas, & Phariseos sive ordinem Ecclesiasticum, Ergo per Jerusalem soli scribæ & Pharisei intelligendi erunt, quibus vix minatur Christus v. 13. 14. 15. 23. 25. 27. 29. Si vero licet Gomaro per Jerusalem intelligere, per amplificationem quandam, præter scribas & Phariseos, etiam principes populi ac Sacerdotes, idque per vim subintellectorum Patrum ex oppositione liberorum, quod & principes populi, patres essent, licebit etiam per Jerusalem intelligere omnes Hierosolymitanorum Seniores, in ulla dignitate vel Ecclesiastica vel politica non constitutos quia & illi incolarum patres, eadem patrum cum illis ratione generali; imo quos vis patres, quia patres, si principes populi, quia patres, etiam intelliguntur. Et si Gomaro licet per vim quam vult, subintellectorum Patrum, a Scribis & Phariseis etiam ad alios deflectere, licebit magis, Hierusalem, universum illum Hierosolymitanorum cædem intelligere, qui in cædes & lapidationes Prophetarum Apostolorum consensit, voto, judicio, opere, quia illarum est expressa mentio. Merito contra Spanhemium urgebitur, quo adversam sibi surget sententiam. Dominus loquitur *de Jerusalem occidente prophetas*, Ergo *de ordine Ecclesiastico*, de iis, penes quos fuit in prophetas inquirere & deque illis judicare. Certius sequitur, si quia de Jerusalem occidente prophetas, ergo de universis illis, quibus illæ cædes juste imputantur, qui ob illas a Deo iudice puniuntur.

73. In propositione *Rationis III.* ordinem Gomari non sequitur, sed hoc ipso non

non bene procedit. Gomarus ex vi eorum qui referuntur ad liberos, patres intelligit. Patres autem Hierusalem primores sunt. Si primores patres, ergo subditi liberi. Spanhemius ita, *per liberos intelligi debet plebs, utique igitur per Ierusalem intelligi debent patres illi.* Sed quomodo probabit, per liberos debere intelligi plebem? Si quia plebei liberi sunt primorum, qui per Ierusalem intelliguntur, eam rationem probationis loco affert, probandæ assertionis, ex qua probatio illa probata fuit. Ordinem igitur probationum non servavit. Addit: *Patres illi nomina ista affectabant anxie, ut patet ex Matth. XXIII, 8.* Ita patet, sed & hoc ex adducto loco patet, illa nomina sic affectata a Scribis & Phariseis reprehendi in illis a Domino. Atqui probabile non est, Christum eadem in oratione, ubi suo sermone utitur, & ad personam non loquitur, voluisse liberos Ierusalem appellare liberos, in relatione ad Patres, quorum nomen ante reprehendit, & rejecit. Hæc igitur probatio pro ipso non est. Illam relationem liberorum & patrum rejecerat. Nolite quos agnovistis Patres, amplius sic agnoscere patres, nolite dici liberi, filii illorum. v. 9. Et Christum v. 37. eo sensu dixisse liberos, mihi persuadere non possum.

74. Colligo, incertissimum esse, quod certum semper esse asserit, imo certum, id non certum. *Distinctionem* admitto illorum quos Deus congregare voluit, ab iis qui congregationi resistere, sive a Ierusalem quæ resistit, quo modo singuli, etiam omnes, differunt a cætu toto, qui præter illos singulos omnes, non habet ullum.

75. Visum hætenus est, Expositionem sententiæ Christi, a Gomaro defensam, simplicitatem sententiæ deseruisse. Fatebuntur, qui simplicius & apertius super illam sententiam scripsere Interpretes. Rudolphus Gualtherus in Luc. XIII. Homil. 141. p. 370. cum retulisset, illam sententiam, prima verba habet: *Sunt verba hæc plana, & perspicua admodum.* Verissime dixit hoc, & iudicavit optime. Gomarus igitur Gualtheri iudicio planum & admodum perspicuum deseruerit sensus. p. 370. b. *Omnis mali caput atque fons est, quod ipsos ad Deum colligit & servari noluisse dicit. Ergo cum Dei voluntate illi pugnarunt.* Et post: *quis non videat illos ad Deum congregari noluisse?* His homogenea sunt, quæ idem in Matth. XXIII. homil. 273. p. 145. b. annotavit, ad eadem verba. *Et nolulistis. Exprobrat eis, quod cum ipsius bonitate pugnarint, sive luctati sint, nec contenti exclusisse oblatam ipsis gratiam Domini, destinata quoque malitia eam noluerint admittere.* Addamus & quæ scripsit Henr. Bullinger, aperte contradicens Gomaro in Matth. XXIII. lib. 9. p. 207. b. *Colligit tandem gentis Iudicæ ingratitude, amplificatur populi ingratitude, quod non semel, sed multoties servare conatus est, quoties, inquit, volui. Verum audi quam male responderint benefico patri. Noluit, noluit, inquam impiissimus populus colligi atque servari in*
ami-

amicitia & fœdere Dei: dispergi & perdi maluit &c. Deus servare voluit, imo omnem movit lapidem ut servaret. At isti servari noluerunt. Ubi ergo sunt qui fatum & necessitatem quandam rigidissimam peccandi & pereundi prædicant? Potuissent servari Hierusalem, si modo voluissent, hoc est nisi repulisset Dei misericordiam & sanum consilium. Non ergo possumus probare Stoicam in negotio salutis necessitatem &c. ita Bullingerus de gente Judaica interpretatur, quam servare Deus voluit, atque ut servaret omnem lapidem movit, quæ tamen erga beneficium patrem ingratißima, servari noluit, quæ peccavit, quæ periit, sed necessitatem peccandi & pereundi non habuit, quæ servata non est, cum servari potuisset. Hæc utique plana sunt, eque nativo, simplici que verborum Christi sensu deducta.

76. Ex Annotationibus David. Parei in Matth. hæc contra Gomarum notanda putavi. v. 4. ad vos. *Scribas & Judæos.* (Ita Gualther. p. 142. b.) *de Iudeorum gente. Judaico populo, exponit.)* ad v. 37. *a Scribis ad urbem conversus, & post: Cædes Prophetarum & lapidationem Zachariae, prius scribit exprobrabat: nunc etiam urbi: b. e. incolis & civium Universitati, quia scribarum nequitiam universi imitabantur. Quoties volui: deplorata obstinatio in rejicienda & oppugnanda Dei gratia. Et nolulistis. potest igitur nolle converti, Deo hominem vocante ad conversionem, quo nihil est verius, sed & nihil turpius. Hæc duo hinc habentur I. Deum velle etiam contumaces congregare ad fidem. II. homines posse nolle congregari: ideoque juste a Deo plecti.* Pareus itaque Hierusalem intellexit Hierosolymitanorum universitatem, volitionem autem Christi, & volitionem deploratæ obstinationis oppositam in eo, quod congregari noluerint, quos Deus voluit ad fidem congregare Benedictus Aretius ad v. 37. *Jam secundo loco specialiter de ingratitude urbis, ejusque digna ultione agit nolulistis q. d. in Deo nulla fuit major cura, quam ut servaremini: in vobis autem nulla minor, simpliciter nolulistis. Magna est ingratitude oblata beneficia sine ratione, sine causa respuere. Idem in Lucam. XIII. & nolulistis. q. d. doleo vicem vestram, qui sponte ruitis ad interitum, ita ut nullum remedium admittatis, etiam divinitus oblatum.* Ergo per Aretium, urbs, non primores soli, respuit, non admisit remedium divinitus oblatum, oblatum autem ut servarentur. Conradus Pellicanus, ex Erasmi paraphrasi, & Buceri commentatione, suam expositionem maxime contexens, in Matth. *Clementissimus Dominus Jesus qui pro sua bonitate nolebat quæquam omnino perire, considerans, inexpugnabilem illorum pervicaciam. . . a me nihil omissum est quo servareris, sed contra abs te nihil prætermisum est, quo tibi perniciem accerferes, salutem excludens, at cui semel prava voluntate contigit velle male agere, is invitus servari non potest.* (Erasmus habet: *at cui semel data est arbitrii libertas, invitus &c.*) in Lucam. *Tua pertinacia vicit meam bonitatem, & quasi devota exitio, sic*



omnia respuis per quæ possis sanari. Ita Bucerus dixerat, ex quo multa, postquam omnia frustra erga vos tentavi, & meo in vos ardentissimo amore vestrum erga me & verbum Patris flagrantissimum odium, meaque in vos ineffabili bonitate vestram incomparabilem erga me malitiam superare nequeo &c.

77. Sed jam expendamus, quæ Spanhemius a Gomaro discedens, ut certa ponit. Primum ut volitionem explicet, & stabiliat videamus. Ad Rationem I. sic colligit, volitio illa Christi ad voluntatem beneplaciti Christi haud quaquam referri potest, *quia ista voluntas adimpletur potenter. Ergo Spanhemius supponit, volitionem istam non impletam potentiam potenter, quia revera omnes & singuli Hierosolymitani congregati non fuere. At Christus voluit congregare liberos Hierusalem, ergo liberi Hierusalem sunt omnes & singuli Hierosolymitani. Si enim voluntas illa impleta non fuit, & ideo non impleta, quia omnes & singuli Hierosolymitani congregati non fuere, ergo liberi Hierusalem, quos ea voluntate congregare voluit, omnes & singuli Hierosolymitani sunt. Hoc cum assertis antea ab ipso & Gomaro non convenit. Ejusdem rationis est, quod p. 1190. in paraphrasi ponit Spanhemius, *quoties proposui verbum meum, quoties hortatus sum, ut congregentur qui vivis peccantes &c.* Atqui in illorum peccantium numero vel primi sunt Scribæ, & Pharisei, ergo liberorum nomine comprehensi, quos congregare Dominus voluit. 2. Si voluntas beneplaciti ea tantum est quæ impletur, & hæc voluntas impleta non est, utique beneplaciti voluntas non est. Sed de voluntate beneplaciti sic scriptura non loquitur, abstinemus igitur jure ab illa tam arcta descriptione. Imo scriptura voluntatem beneplaciti, quæ non impletur, vocat, cum illa ergo loquimur, neque ut illam descriptionem arctiorem defendamus, clarissimus, clarissimis sacrae Scripturæ oraculis injuriam facere possumus, quæ prædicant seriam Dei voluntatem, quæ non impletur.*

78. Ad II. Hierosolyma utique testis esse potuit voluntatis Dei seriae, paternæ, cupidæ omnium liberorum salutis & congregationis ad se, quia infallibilibus testimoniis declarata, & sigillis certis obsignata fuit, quia & conscientia Hierosolymitanorum intus condemnavit ipsos malitiæ voluntati Dei se opponentis. Et cur voluntas beneplaciti interna & latens est, & nemini pervia, si eventus illius voluntatis certus testis est, si voluntas beneplaciti semper impletur, & nihil fit, nisi sic volente Deo, poterat ex eventu esse pervia illa voluntas. Si ex eventu, quo video, hominem aliquem in incredulitate sua perire, & in impoenitentia decedere, optime colligo, hunc Deus perire voluit, & ab æterno voluit, & sub conditione non voluit, ut Spanhemius loqui solet, utique melius colligo, si non ex eventu, qui fallit, sed ex verbo Dei simplice, quo voluntatem suam seriam patefecit, de beneplacita Dei voluntate, statuo.

Et

Et sic colligo: Deus neminem perire vult, Ergo quod perierit ille, Dominus non voluit. Datur ergo in Deo voluntas, non volens, quod fit. Quando voluntatem beneplaciti non perviam fuisse addit, quia latuit Hierosolymitanos, quid nimirum ille de unoquoque Hierosolymitanorum apud se statuerit, de consequente voluntate loquitur, de qua Christus non loquitur, qui ut dispersos considerat, quos congregaturus erat.

79. Ad III. Non cogit. Possent dici, Deum hominibus loquentem, sic loqui ut percipi queat, quod loquitur, & humanam formam induere in illo, quod eminentius Deo convenire noscitur, sed aliter percipi non posse agnoscitur. Quoties volui, seriam volitionem exprimit. Sed dicat etiam volitionum actus multos, succedentes, de novo reassumptos, id hominum est. Quod ut hominum, ipsis relinquendum, & tribuenda Deo seria voluntas purissima, sed quam non capit noster intellectus. Etiam miseretur utique Deus, quorum miseretur, & eminentissima ratione, verissime tamen miseretur, & tamen iis infirmitatibus non miseretur, quæ in patre terreno sunt miserentis filii sui. Non igitur ideo seria in Deo voluntas non est, quia sub forma quæ Dei puritati & simplicitati non convenit in se, in scriptura proponitur. Calvinus ad loc. nostrum inter alia Respondet, *se cum suis non aliter credere, quam unicam & simplicem Dei voluntatem, sed pro infirmitatis nostræ modulo bifariam nobis proponi.* Ac miratur eos, qui ἀνδρωπρωπία in hac in parte non admittunt, ita præfracto esse cerebro. Rigidior hæc Calvinus censura est. 2. Non necessarium est concedi, actum hunc volitionis, quando Christus, quoties volui, inquit, non unum & constantem fuisse, sed discretum, & multiplicatum ac interruptum, neque enim hoc probavit Spanhemius. Dicit Christus se multoties voluisse, nemo sapius, quam qui semper uno & constanti actu, non interrupto, sed continuo. Addit; *Et bene Syrus vocabulum ποσάνυς vertit זכנין quot temporibus.* Sed hoc non probat, quia qui omnibus temporibus, utique pluribus. Misericordia Dei una est & constans, erga electos, actus est non discretus, non interruptus, & tamen quotidie efflorescit, & nova fit, eam, certo demonstrantibus gratiæ effectis declarante & obsignante Deo. Neque in hominibus necessarius est interruptus & multiplicatus volitionis actus in similibus locutionibus, Ergo hoc ut certum non poterat vel debebat asseri. 509. ἡ parentum, naturalis patris vel matris in liberos affectus, continuus est, altas habet in corde radices, nec succedentibus vicibus jam eradicatur, jam plantatur rursus. Declaraturus illum parens, & exprobraturus filio contumaci malitiam, quæ obstitit, quo minus faceret parens, ad quod 509. ἡ erga filium ut talem propendebat, dicit ad filium, quoties te hæredem volui omnium bonorum meorum, quoties te ardente affectu volui complecti, effu-

surus in sinum tuum, quæ penes me sunt omnia, sed noluisti. Loquitur pater de affectu continuo, quem semper habuit, certis effectis declarato.

80. 3. Simplicissime igitur, quoties volui, id est, quoties me voluisse serio, certis divinæ gratiæ effectis declaravi. Non concedimus, volitionum multitudinem, non voluntatis actum multiplicatum, sed effecta misericordis istius in Deo voluntatis multa, eam certo testificantia & obsignantia largimur. Unde non probamus quæ Gvil. Estius l. c. Expositioni a se allatæ primæ & secundæ, objicit. Quarum illa, *de velleitate*, quæ Deus dicitur velle ex sua parte, volui, ex mea parte, sed noluistis ex vestra, exponit: Hæc, *de voluntate Christi optativa*, quæ voluerit Judæorum salutem ut hominum, deinde ut eorum qui ejusdem secum essent generis & nationis, erga quos solet affectus naturalis amoris esse vehementior. Dicit: *obstat, quod dicit, quoties volui. Nam velleitas illa continua est, similiter, optativa voluntas Christi, dicendum esset, semper volui.* Sed hoc necesse non fuit. Hebr. I, 6. ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ cum vero rursus introducit primogenitum in mundum. Non iterata introductio ab Apostolo intelligitur, quæ semel facta est, una autem Prophetia non fuit, quæ illam prædixit, ut unius introductionis iteratam prædictionem ostenderet, sic locutus est Apostolus, qui ex vaticiniis e Vet. Test. adductis de introducto in mundum primogenito, agit.

81. Non etiam eo redit simplex illius volitionis interpretatio, quæ non de voluntate præcepti tantum, sed voluntate beneplaciti & verbo declarata exponit, quo eam redire putat Spanhemius. Sed huc: Christum voluisse tales congregare, si malitiose non obstiterent, quod per oblatam Dei gratiam, poterant præstare. Bellarm. T. 4. de Grat. & Lib. Arb. l. I. c. II. §. Similis locus. *Quomodo voluit, & ita voluit, ut quæretur de nolentibus, si eos, quos sciebat per se non posse velle, non juvit ut possent velle?*

82. Gomarus etiam explicatione voluntatis non satisfacit, quando eam *in decernentem, & approbantem* distinguit, ut si Christus diceret, noluisse eos congregari a se, quos voluerit ipse congregare, de voluntate explicet, quæ congregationem ad se, tanquam bonum quid, quod tanquam bonum, gratum habeat Dominus, approbet, quando concedit, *probari congregationem multorum, qui non congregantur.* At quæ ratione Deus probare potest conversionem ejus, quem optima, justissima voluntate converti nunquam voluit, & gratam habere congregationem ejus, quem congregari simpliciter non vult. Unde congrue magis ad suas hypotheses, & apertius Spanhemius in hac re locutus est, in Epistola sua ad Matth. Cottier p. 122. *non sine καταχρησεί aliqua Deus dicitur (syncategoremate sumpto collective) probare omnium salutem. Nec enim Deus id probat quod nec est, nec futurum est, & quod ne fieret, ipse sapientissima & liberrima sua ordinatione constituit &c.* Ergo per Spanhemium dici non potest, quod dici non Gomarus statuit, Christum probasse congregationem multorum, quos verbo vocavit, etsi eos efficacia interna spiritus non

congregarit. Non minor fuerit κατάχρησις in locutione Embdanorum Act. Syn. Dord. p. 738. fuit voluntas signi, quia Deus, quid ab hominibus fieri vel omit-
ti velit, declarat, Spanhemius aliter p. 1191.

83. Quod Congregationem attinet, de qua Dominus loquitur, nimis con-
fidens Spanhemii assertio est, ἐπισυναγαγεῖν, haudquaquam notare operatio-
nem internam, sed externam tantum. Confidentius quam par erat. Oppono
manifestissimum locum Joh. XI, 12. Jesus moriturus erat pro gente. Et non tan-
tum pro gente, sed ut & filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum. συνα-
γάγη εἰς ἓν. Loquitur Evangelista de Congregatione filiis Dei propria, de
congregatione ad unitatem illam, de qua Dominus ipse, Joh. XVII, 20. 21. Non
pro eis autem rogo tantum, sed & eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.
ἵνα πάντες ἐν ᾧσιν. Utiqve hæc externa tantum congregatio non est, imo inter-
na tantum quatenus talis, quia omnes fideles unitate fidei, vinculo arcto, col-
ligati, & unum corpus Christi mysticum constituentem, in Christo unum sunt.
Qui ergo sic congregat, interna operatione utitur, quia fidem operatur, quæ
fatentibus ipsis contra quos agimus, sola spiritus regenerantis interna efficacia
producitur. Terminus congregationis qualis sit congregatio quæ ad illum fit,
explicat. In Deo unum sunt fideles Dei filii, Congregatio quæ ad hunc con-
gregantur terminum, interna est, & spiritus Domini. Ergo probari non
potest, congregare haudquaquam significare operationem internam. Quæ su-
perius dicta sunt, de hac voce, hic repetenda non sunt. 2. Dico autem eun-
dem sensum vocis esse & in dicto Christi, congregare volentis filios Jerusalem,
quia & hæc ad Christum est, cui per fidem jungimur, ad gratiam Dei Salvatri-
cem, servatricem, quæ sola obtinetur fide, quia est ad umbram alarum Domini,
sub qua conquiescunt, soli, qui Domino confidunt. Quia alarum expansio Gal-
linæ cælestis externa expansio non est, neque congregatio sub illas se recon-
dens externa erit. Genevenses ut exprimerent identitatem significationis vo-
cis Congregare in utroque & Matth. & Johan. loco, ἐπισυναγαγεῖν vertunt,
assembler en un. Edit. Ann. 1622. plane ut Johan. XI, 52. afin aussi qu' il assemblast
en un. etiam apud Luc. XIII. loc. parallelo Matthæi loco, sic vertunt, rassem-
bler en un. Ergo ad eandem unitatem contendentem, congregationem, quia
congregare voluit filios Hierusalem, intelligunt, ad quam congregantur filii
Dei.

84. Ad II. Quid lucri habeat ex Syriaca versione Spanhemius non video.
Illa sic reddit: פמא זכניו צבית ראכנש quot vicibus volui ut congrega-
rem, hoc est, evoluto Syriasmō, volui congregare. Ut Matth. XVI, 25. qui e-
nim voluerit דנחא נפשו ut vivificet animam suam, hoc est, vivificare,
servare. Voce illis utitur Syrus Joh. XI, 52. זכנש συναγάγη nechannesch,
congregaret Matth. XXV, 35. & 38. Ergo nec Syriaca hæc vox externum tan-

tum actum vel statum notat. 2. Ratio non est, quod אכניש ponat, Græco respondens verbum Syrum, addatque in *Aphel*. Certe in loco nostro, quem tractamus, *Aphel* non est, sed *Pahel*, idque ex punctatione patet, quæ dechannesch habet, non dachnesch. Imo in locis adductis omnibus *Pahel* est, Crinesius in *Lexico* exempla Conjugationum *Kal* & *Pahel* hujus verbi notavit bene multa, nullum ex *Aphel*. *Concordantiæ Buxdorfiæ*, Hebrææ vocis כנס ex *Kal* & *Pihel* non pauca ostendunt ex Hebræo *Codice* exempla, ex *Hiphil* nullum 3. Nomen abstractum, quod inde venit per *Spanhemium* כנושיא, usurpat Syrus 2. *Theff. II*, 1. pro Græco, Ἐπισυναγωγή, ubi externum tantum actum vel statum id notare, nullo modo dici potest. Quæ omnium electorum ad Christum aggregatio in corporum uno in loco conjunctione externa non consistit, ubi primas habet animorum, animarumve intima, lætissima, interna cum Domino conjunctio, quæ initia sua habet hac in vita, consummanda in illa, quam expectamus.

85. *Ad III. Congregatio pullorum a gallina externa duntaxat est, nec notat vel inspirationem vitæ, vel internum quendam motum, sed externam tantum operationem.* At necessarium non est Congregationem a gallina internam operationem in pullos exeuntem & in illis operantem notare, ut per illam Congregatio Domini, quæ congregare voluit liberos Jerusalem, si internam operationem includit, significari queat. Adeo hoc insolens non est, quod intus operatur Dominus, declarare, per externos actus creaturarum, ut cum maxime quod intus & invisibiliter operatur, declarare, & oculis quasi præsentem contuendum subicere vult, id sub externa & visibili specie objiciat. Unio gallinæ cum pullis sub alis suis visibilis & exterior est, ita congregatio, quæ illam intendit, locali & externo motu perficitur. Unio Christi cum fidelibus sub alis Domini quiescentibus invisibilis est, & spiritualibus interior: ita congregatio, quæ illam intendit, spiritus opera & interno cordis motu perficitur. Nulla foras mutatione opus est, sed sola mentis. Interim interior ille ad Deum per fidem accessus, exterioribus actibus illustratur, & figuratur in scripturis, quia noster omnis conceptus tales ideas figurat & facillime concipimus nos spiritualia sic declarata, cum quibus ita per scripturas loquitur.

86. Christus itaque ut *Minister circumcisionis* hic non loquitur, quia ut *Minister Circumcisionis* inter illos est, qui ad Jerusalem missi sunt. Sublimiorem statum exprimunt, quæ per contextum Christum mittenti Prophetas, & volenti congregare, per Prophetas & Apostolos a se missos, tribuuntur. Sed nec opus est, ad Christum, ut *Circumcisionis* ministrum restringere, si voluntas illa inefficax & signi est. *Decretum Dei*, quod desertam Judæorum domum futuram decrevit, absolutum non fuit, factum prævisa malitiosa contumacia ipsorum, quod eversum non fuisset, si congregati fuissent, quia congregatos ad Christum dispergere non decrevit. Voluit Dominus congregare dispersos, quos nolentes colligi, deseruit, Facile fuit Christo, omnibus illis Judæis gratiam resipiscentiæ & fidei largiri, ex absoluta potestate operanti. Sed non potuit, quod non licuit per ordinem a Deo constitutum. Sic loquitur, non potuisse Scriptura Christum, quod utique absoluta potestate facile potuit,

87. Non ergo evidentem necessitatem attulit Joh. Deodatus. *Simplex desiderium*, infirmitatis signum est, prout id in hominibus cernitur, ex defectu virium non potentium efficere, quod erant facturi, si non destituerentur potentia. Amor autem ordinatus præstare non potest, etiam ad quod vires habet. Etiam decretum immutabile est, ea ratione, quæ quid decrevit, quia immutabili ratione decrevit, quam nihil evertit. Locus Deut. XXIX, 29. allegatus a Joh. Deodato, differentiam occultorum, nobis non revelatorum,

quæ

quæ sibi reservaverit Dominus, a manifestis, nobisque revelatis certo non probat. Vulg. Abscondita, Domino Deo nostro: quæ manifesta sunt, nobis & filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus. Hebr. & revelata nobis &c. Joh. Deodatus, contradistinguit: male revelate (cose) sono, sed res revelatae sunt &c. Ita & Genevenses: mais les choses revelées sont pour nous: sed revelata sunt propter nos &c. At simplicissimum Lutheri sensum, ab ipso in interpretatione & glossa expressum marginali, quæ distinctionem illam non facit, prorsus reddit Genevensis Editio an. 1370. quæ sic vertit locum: *Les secrets du Seigneur nostre Dieu nous sont revelez, & a nos en fans* &c. Secreta Domini nostri Dei nobis sunt revelata, & nostris libris &c. Versio Hispanica ann. 1622. I. O en cubierto de Johevah nuestro Dios es descubierto a nosotros y a nuestros hijos para empre, paraque hagamos todas las palabras de esta Ley, hoc est: *Opertum Jehovah nostrum Dei est apertum nobis & nostris filiis in sempiternum ut faciamus omnia verba hujus Legis.* Hunc sensum ut simpliciosem, & Psalm. CXLVII, 19. 20. explicatum, perferendum putamus.

88. Contra hanc Expositionem hætenus eximinatam adduci merentur, quæ citati supra commentatores, cum simplicius verba Domini interpretarentur, contra illam scribere. Spanhemius etiam *commiserantis affectum* in Christo ista loquente, & *dolorem & lachrymas* explosit. Pareus: *pathetica lamentatione: quæ non multo ante in postremo ingressus ejus cecitatem & exitium deplorabit.* Repetitio nominis $\pi \alpha \dot{\iota} \delta \omicron \varsigma$ indicat amoris & commiserationis &c. *affectum & studium suum indefessum in curanda ejus salute declarat metaphoram gallinæ &c. altius Dei personam inducens inde a Mose omnes a se Prophetas missos &c.* Per Pareum igitur, Dominus non ut Minister circumcisionis ita congregare voluit, & quamvis non legatur lachrymas fudisse Christus, cum hæc eloqueretur, similem tamen lamentationem fuisse ei, quæ non multo ante urbis cecitatem & exitium deploravit, affirmat. Etiam commiserationis affectum agnoscit. Calvinus autem ad quoties volui: *Indignatio magis est quam commiseratio.* Benedictus Aretius in Matth. *dolenter addit, & noluitis* in Luc. *pathetice ingeminatione verbi dolorem quendam ex commiseratione exprimit, charissima enim solemus hoc modo deplorare.* Aptæ est similitudo a gallinæ ingenio sumpta, quæ proponitur in Deo, propensa ad jubandum miseros homines *Voluntas.* Dolenter, magnoque affectu, illa Christus videtur dicere & noluitis &c. In Dei persona ad ingratum populum hic loquitur &c. Ita sæpius de dolore, deque Christo, ut Deo, deque voluntate in Deo propensa, sed opere ad quod propendebat non impleta Conrad. Pellicanus, *oratione lamentabili deplorat Iudaicæ gentis vastationem.* in Luc. *deplorat illam, quæ toties sprete Dei bonitate &c.* Ergo congregati non fuere, quos non congregatos & perdendos deplorat, potentia Dei non victa, sed bonitate sprete.

89. Bullingerus l. c. *epilogo vehementer pathetico.* Anadiplosis illa Hierusalem, Hierusalem paternum respicit affectum sive dolorem. *Amorem Dei in gentem singularem & ardens servandi studium apposito Icone adumbrat.* Ideo Prophetas misit Deus, ut per ipsorum orationem testaretur amorem suum in gentem Judaicam, ut quæ rationem indicaret quomodo servari posset. Deus servare voluit, & hanc voluntatem suam non semel attestatus est, imo omnem movit lapidem ut servaret &c. Agnoscit Bullingerus dolorem loquentis, in voluntate volentis amorem paternum, singularem, studium ardens servandi, idque Icone apposito adumbratum. Ergo studium illud, & amorem adumbrat similitudo ista, non externam tantum operationem, studio servandi destitutam. Et multiplicatio non volitionis est, sed testimoniorum voluntatem servandi attestantium. Et Congregatio est servans ab interitu. Idem p. 208. q. d. *hætenus nihil eorum omisit, quæ videbantur ad vestram pertinere salutem & incolumitatem, ceterum cum videam vos omnibus modis abhorreere a veritate, ab ipso Dei consortio fœdereque &c.* Hæc non conveniunt cum Spanhemii & Gomari assertis. Ille scilicet miserendi animum negat hæc ratione pag. 1187. *Ubi serius miserendi animus est, ibi ea adhibentur, quæ ad effectum miserationis producendum sunt necessaria, præsertim si illa a so-*

lo illo, cui ejusmodi affectus tribuitur, pendeant, nec aliunde haberi possint. Hic pag. 113. b. quod ajunt certum esse, Spiritum Sanctum a parte sua egisse id omne, quod ad conversionem illorum, & Patrum necessarium erat, id inquam vanum est. Contra Bullingerus omnem lapidem movet, nihil eorum omisit, quæ videbantur ad salutem pertinere. A voce Gomari, vanum esse abhorreo.

90. Gualtherus evidenter non agnoscit Spanhemii expositionem volitionis & Congregationis pag. 145. b. Quoties volui. Nam omnis scriptura plena est testimoniorum gratia & bonitatis Dei, quæ hanc gentem hic complexus est: Ergo voluntatis constantis, testimonia plurima sunt, Et Multitudo non volitionis est, sed testimoniorum. Et post: Elucet Dei in nobis servandis studium. Gallina suo naturali calore pullos suos fovet, quæ sola hoc illis præstat quod nemo alius eis præstare poterat: Ita Deus sua bonitate & cura nos tuetur & spiritu suo nobis confert, quæ nullis aliis viribus, nulla aliorum hominum industria conferri poterant. Ergo Deus congregans, ut Gallina confert spiritu suo, intus operante, quod hominum industria conferri non potest, fidem, & gratiam salvantem per fidem. Memorabilis aphorismus est quem p. 146. posuit: *discamus igitur ex tota capituli hujus tractatione omnem beatitudinem præsentis & futuri seculi in eo consistere, ut cum Deo vero per fidem in Jesum Christum jungamur, & in eo pullos imitemur.* Ergo congregamur ad Deum per fidem in Jesum Christum. Ergo Congregari non dicit tantum externum statum vel actum. Idem in Luc. 1. c. *Cum infinita beneficia recitare posset, quibus suam gratiam erga illos declaraverat &c. quoties volui. q. d. non nunc demum meum in vos studium declarare coepi &c. Qualis illa gratia, quale studium? Ipse Dei Filius venit, quæ incomparabili studio omnia fecit, quæ ad servandum aliquem populum factu necessaria sunt.* Dixerit hoc vanum Gomarus. At de quovis duro verbo reddenda olim erit ratio. Explicat amorem Gualtherus, *Amoris & studii ingens est argumentum, quod quæ nullius est indigens, nostri curam quæ valeat cunctis suscipit &c. majus, quod nos filiorum loco habere dignatur. Imo non patrem modo nostrum se esse profitetur, sed matris quoque affectum induit, quæ nullus est inter homines tenerior & vehementior. Superat tamen hæc omnia, quod gallina, avi vilissima, sese confert, & ita sese ad pulveres usque demittit, ut nos servet. Etenim non fictam esse hanc comparisonem, res ipsa testatur.* Et hic finis esto.

91. Concludo, Seriam esse in Deo voluntatem congregandi, etiam eos, qui non congregantur.

92. Colligo I. voluntatem vocantis ad se Christi, seriam esse & congregationis vocatorum flagranter cupidam.

II. Debere vocatorum quemlibet certum esse, & sui aggregationem velle Dominum.

III. Non tolerabilem esse eorum doctrinam, qui voluntatem istam sic explicant, ut diffidentiam, in corde peccatoris accessum ad Dominum refugientis, nutriant, & fiduciam simplicis in Christum fidei concutiant.

IV. Vocatum non collectum, in dispersione sua pereuntem, ex necessitate voluntatis absolutæ, vel sufficienter non succurrentis, non perdi.

V. Perditiōnis vocatorum, ad Christum non aggregatorum, causam esse, quod colligit ad Christum non voluerint.

VI. Fundamentum fidei, simplici fiducia in gratia Jesu Christi, Salvatoris mundi, acquiescentis, labefactare Doctrinam de voluntate congregantis ad se Christi, inevitabiliter, quos vult, quia vult, reddentis inexcusabiles qui non congregantur, qui non congregantur, quia illos Dominus congregare non voluit, quos eo fine invitaverit blande, ut non venientes fierent, inexcusabiles, cum venire illos non voluerit.

VII. Non sperari posse concordem in Christo firmitatem Doctorum, voluntatem colligentis ad se Christi simpliciter, ut litera divina loquitur, defendentium; & illam violenta interpretatione, & verborum tortura negantium nisi & hi, ratione sub obedientiam fidei captivata, in simplici simplici verbi sensu una acquiescant.

753962

ULB Halle 3
001 854 02X




Sb.

2

10/12





15.
כ"ש
DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,
De
**VOLUNTATE CHRIS-
TI CONGREGARE VOLEN-
TIS, NON VOLENTES CON-
GREGARI.**

Ex Matth. XXIII, vers. 37.

Jerusalem, Jerusalem, trucidatrix Prophetarum, & lapidatrix eorum, qui ad te
missi sunt, quoties volui aggregare liberos tuos, quemadmodum gallina
congregat pullos suos sub alas, & nolulistis?

QVAM

Sub umbra alarum Domini,

PRÆSIDE

*Viro Magnifico, Admodum Reverendo, Amplissimo &
Excellentissimo,*

DN. JO. CONR. DANNHAWERO,
SS. Theol. Doctor. & Professor. Celeber-
rimo, Conventus Ecclesiastici Præsidi, & Capituli Thomani
Decano, & Universitatis h. t. Rectore, Domino Patrono, Præ-
ceptore & Promotore Patris instar venerando,
Pro impetrando Doctoreo in Theologia Gradu,

Solenniter tuebitur,

M. ISAACUS FAUSTIUS,

Argentoratensis, Ecclesiastes.

Ad diem 3. Junii Horis ante & pomeridianis.

DISPUTATIO XVI.

ARGENTORATI,

Typis JOSIÆ STÆDEL, Acad. Typogr. M. DC. LXXXIX.

